Z.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
A
9
NAPOLI

XXI. a. 9

EPISTOLA
BONO PUBLICO
EDITA,

Qua exponitur judicium

DE

Libro hoc anno prolato,

Cui Titulus.

CENSURA FORENSIS
THEORETICO-
PRACTICA,

ID EST,

TOTIUS JURIS
CIVILIS

Romani,uſuq; recepti, & Practici
Methodica collatio &c.

Authore,

SIMONE van LEEUWEN, JC. Bat.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JACOBUM VOORN.
Anno MDCLXII.

Difficile eſt Satyram non ſcribere, nam quis inepti
Tam patiens ſcriptoris erit, nunc ut teneat ſe?
Si Natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcunque poteſt.

EPISTOLA
BONO PUBLICO EDITA.

Amiciſſime Philonome,

QUod literis tuis hactenus non reſponderim, dabis veniam, potiuſque fato, & occupationibus meis, quam mihi indignabere, cavebiſque ſedulo, ne in te ulla cadat ſiniſtra ſuſpicio, quaſi tui parum fuerim memor: neque enim tui unquam obliviſcar, nec ullius, quem ſua virtus mihi aut amicum, aut celebrem fecit. Utq; magis re & facto,

quam verbis & ſpecie veri, hæc teſtarer, legi aliqua ex parte librum, de quo meum judicium efflagitaſti. Certe nunquam legiſſem niſi te urgente, & ex animo dolerem me tantam temporis feciſſe jacturam, profuſiſſimumque fuiſſe in eo, cujus unius honeſtiſſima eſt avaritia, ſi non tua de cauſa hæc à me facta ſcirem. Me enim quod attinet, minimè opus fuit illum ex ſcriptis cognoſcere, quem antea intus & in cute noveram, & de quo veriſſime prædicari ſcio, illum aliquid ſcire poſſe, ſi ſciret ſe nihil ſcire, nunc cum putet ſe ubique ſupra vulgus ſapere, nihil unquam intellecturum. Atque utinam tanti temporis jactura potuiſſem tibi ſatisfacere, licuiſſetque mihi ἐπέχειν. Sed quandoquidem nec hoc concedis, exponam libere, in libera republica, meum de illo opere judicium.

cium. Non quod totum examiverim, (ad triremes enim damnatus eſſe mallem) ſed ſatis ſuperque ex illis quæ vidi, de toto opere judicare potui, quod & tibi facillimum erit ex pauciſſimis, quæ hic à me audies. Nam ſi leonem ex ungue cognoſcimus, & è fimbria de texto judicamus, quid oberit, quominus totum Simonem van Leeuwen, JC^tum^ Batavum, è nævis in minima parte ejus operis occurrentibus, perſpiciamus?

Opus ergo ipſum aggredior, cui titulus, *Cenſura Forenſis, Theoretico-Practica, id eſt, Totius Juris Civilis, Romani, uſuque recepti, & Practici Methodica Collatio, Qua non tantum ipſa Juris Romani fundamenta, ad rationis & veritatis cenſuram, Methodice reducuntur; ſed & ad uſum practicum transferuntur, Interjectis Conſtitutionibus, Deciſio-*

nibus, Moribus, & Statutis, non tantum generalioribus, verum etiam particularibus cujuſque fere Chriſtianorum gentis, Regionis & Provinciæ, authore Simone van Leeuwen, J C. Batav.] Qui indignationem & bilem, an riſum potius mihi moverit,non facile dixerim. Profitetur hic homo ſe ſcribere collationem totius juris civilis Romani &c. cujus ne milleſimam quidem partem vidit, nedum attigit vel expoſuit. Et quamvis hæc ſumma ſit impudentia, tamen faſtum & ſuperbiam illius inſcriptionis magis fuiſſem miratus, ſi non mores noviſſem auctoris, eumque ea eſſe indole, ut credat, his temporibus, ſibi ſoli licere dicere,

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo. Juvat integros accedere fontes

At-

Atque haurire : juvatque novos decerpere flores;
Inſignemque, meo capiti petere inde coronam,
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Imò jam ante annos aliquot, cum vix manum ferulæ ſubduxiſſet, in præfatione ad paratitla ſua, quæ ſimili titulo tument, hunc in modum ſcribere non erubuit. **Het werck ſal getuygen / of ? ende wat daer inne gebracht is / het welcke andere ofte niet en hebben geweten / of ten minſten niet en hebben kunnen bedencken.** Quæ quamvis omnibus tunc temporis diſplicuerint, tamen nihil verius illis ab auctore dici potuit. Scripſit enim *paratitula*, quæ ſcribere nulli in mentem venit: fuitque in eo felicior Cajapha, quod veritatem præter mentem prædicere potuerit, cum tamen ponti-

ſex maximus non eſſet. Et ne credas hoc vicium eſſe typographi, in ſingulis paginis hæc vox occurrit, eumque errorem, ab amico admonitus, in ſecunda editione correxit. Atque hic eſt ille Ariſtarchus, qui aliis exprobrare audet, quod Græcè non noverint. Nam quamvis peſſime faciant, qui nolunt

—— exemplaria Græca
Nocturna verſare manu, verſare diurna.

tamen hoc illis objici non debet ab eo, qui ipſe prima rudimenta Græcæ linguæ non intelligit, & Græca ne quidem fideliter exſcribere poteſt. Certe loripedem rectus derideat, æthiopem albus. Et neſcio quid huic homini eventurum ſit, ſi unico hoc modo ſe ſervare non poſſit, quod neget regulas vel orthographiæ, vel ſyntaxis, vel proſodiæ ſibi natas eſſe.

Quidquid enim hactenus ſcripſit ſive carmine ſive in proſa, ſive Latine ſive Belgice, tot turget viciis & ſolœciſmis, ut ubique dubitare liceat, an major in eo homine ſit imperitia, an impudentia. Et, ne putes me nimis hic delicatum eſſe, non loquor de viciis Nobili Oratore indignis, illa Incomparabili noſtro Gronovio, & fortaſſis ſoli, evitare licet; non etiam de iſtis, quæ nobili Romano parum convenirent; quinimò plebitatem ſermonis, & quod magis eſt, neoteriſmos tranſeo, qui ſciam, fere omnes hujus ævi ſcriptores eo malo inquinatos eſſe, (& propterea per me licebit, ut dicat incertitudinem, ingratitudinem, ditionem (pro regione) quæ tamen voces omnes bono auctore carent) ſed ſolummodo carpam ſolœciſmos tum contra orthogra-

phiam, tum contra ſyntaxin, tum contra proſodiam commiſſos, alioſq; errores, quorum vel pueros in ſcholis puderet. Quod cum vix credibile ſit in ſcriptore, qui tanta confidentia in omnium ordinum viros invehitur, eoſque perſtringere, iiſque inclementer dicere audet, à quibus ut ſemel nominaretur, centies, ſi ſaperet, mori vellet, rogo examines carmen, quod noſter poëta compoſuit, & imagini Naſonis, ad caput editionis, quæ D. Schrevelii accurationi debetur, affixæ, ſubjiciendum curavit, in quo primam ſyllabam in Ovidio produxit, contra omnium auctoritatem. Sed forſitan cum vulgo credit, in nominibus propriis ejuſmodi ſyllabas eſſe communes; quem errorem eſſe puerilem, te ignorare nolo. Neque ènim unquam cuiquam permittam, ut nomi-

minibus propriis Romanis, aliam, quam ipſi voluere, concedat quantitatem. Sed & in eodem carmine ſecundam in *relego* idem poëta corripuit. Verum de his me non conſuluiſti: ſed ſacer tibi ſim, ſi hic auctor felicior eſt in obſervandis Orthographiæ vel Syntaxis regulis. Quod ut apertum ſit, tum titulum operis, tum epiſtolam ad DD. Curatores Academiæ, hujuſque civitatis conſules ſcriptam, tum prolegomena examinabo, additis ſemper ipſis auctoris verbis. Et quidem quod titulum operis ſpectat, in eo hæc invenies;

Authore Simone van Leeuwen.] Certe mali augurii eſt in principio lapſus; & non decuit tanti ſupercilii ſcriptorem ignorare, *auctorem* ſcribendum eſſe; non *authorem* vel *autorem*, ut pluribus probat Alc. 2, *parerg.* 2, Et nemo

credere poteſt hoc incuria typographi accidiſſe, quoniam paſſim auctor ita ſcripſit. Jam epiſtolam aggredior, in qua, vara vibiam, quod ajunt.

Quod nemo non, qui (ut ne quid de cæteris ſcientiis) circa Juriſprudentiam verſatur, ſatis pro comperto habebit; depravatum, atque corruptum Juris Civilis ſtudium ſibi negocium faceſſere, neque auxiliis veris (quæ in ipſius poteſtate ſunt) à quoquam adjuvari.] An hæc querimonia juſta ſit, mox videbitur; ſed quæ in illis verbis eſt connexio, quæ cohærentia? Imo quis ea intelliget, ſi poſt verbum *habebit*, hæc non inſerantur? vel *dicet depravatum.* Sed quamvis hæc turpis ſit obſcuritas, majorem tamen ſolœciſmum auctorem committere, in hiſce proximè ſequentibus verbis, nemo ſuæ mentis compos negabit.

Quis

Quis enim omnem librorum, qui de jure conſcripti ſunt, accumulátam varietatem diligentius inſpiciet, qui non ubique inveniat repetitiones infinitas, tractandi modo duntaxat renovatas, inventione vero antiquas, quæ omnia primo intuitu.] Eleganter *Repetitiones, quæ omnia.* Quid cenſes mi Philonome? & hic tamen eſt, qui in prolegomenis pag. 23. ita ſcribere auſus eſt. *Interim ad ſtylum quod attinet: eum aut furtivis pennis ornant, aut proprio Marte ita turpiter exercent, ut mille vulneribus concidat Priſcianus, & pluſquam quingentis colaphis Vallæ caput tuber ſit.* Hic Doctorum repetitiones carpit, qui *lib.* 2. *cap.* 17. *de reditu cenſuali num.* 10. integris decem verſibus ea repetiit, quæ *num.* 5. *eod. tit.* tradiderat; quod an ſit hominis ſani, tu judica.

Quare quum ab eo tempore, ex quo ſuo merito exiſtimare juriſprudentiam

tiam cœpi, aliquid ſupra, & præter quam alii fecerunt, præclare cogitaverim, omni ſemper ope committendum duxi, ſi quo modo in integrum id reſtitui, aut in meliorem ſtatum reduci poſſit.] Vah quam elegans ubique eſt. Et primum peſſimè dixit *committendum* pro *connitendum*. Et adhuc pejus, de *jurisprudentia* locutus, ſcripſit, *ſi quo modo in integrum id reſtitui*, pro *ea*. Deinde *exiſtimare aliquid merito ſuo*, Latine non eſt, ſed *æſtimare*: verum cenſorem differentiam, quæ eſt inter *exiſtimare* & *æſtimare*, ignoraſſe, ex ſequentibus apertum erit.

Quod ad veræ Jurisprudentiæ Theoretico-practicæ affectat viam.] Ad aliquem affectare viam, Latinum eſt: fatuum vero *affectare ad viam*.

Magis quoque ut ſpero atque opinor profuturum erit, quam in hiſce re-

regionibus alius quiſquam (ni fallor) præſtitit.] Hæc non ſunt ἀγαθοῦ δαίμονος. Et male ageretur cum Vinnio, Cypriano, Groenewegio, ſi hoc cum homuncione nominentur. Ut omittam male cenſorem ſcripſiſſe *profuturum erit*, pro *profuturum eſt.*

Neque me fugit, quanto in periculo famæ atque æſtimationis hoc experimentum verſatur.] *Æſtimatio* pro fama aut nomine, barbarum eſt. *Exiſtimationis* dicere eum oportuit. Et hoc vel ex una *l.* 5. *ff. de extraord. cognit.* noſter JC. diſcere potuit.

Supra vulgus ſapere velle, quo facillime, quum eorum ſtudiis minime obſequaris, non nemini adverſus, cum invidia calumnias, & amicos nullos, quæ odium pariat, veritas inventura ſit.] Niſi legas, *quod facillimè, quum multorum ſtudiis minimè obſequaris, non nemini adver-*

ſus,

ſus, cum invidia calumnias, & amicos nullos, quæ odium parit, veritas inveniat, verba auctoris interpretem deſiderabunt.

Qui unius tantum anni & ſucceſſivi temporis fœtus, ſi tractandi modum ſpectetis, fateor, intra privatos parietes delituiſſe præſtitiſſet.] Non unum errorem noſter cenſor his in verbis commiſit. Primum enim barbarè dixit, *qui fœtus delituiſſe præſtitiſſet*, pro *quem fœtum*. Deinde malè ſcripſit *ſucceſſivi temporis*, pro *ſubſecivi*. Et quod magis mirandum eſt, hunc errorem *in faſcic. emend.* corrigere voluit, & ſubſtituit *ſucciſivi*, quod æque ineptum eſt.

Vſque dum meliora uſu edocto, majori cura perpolire liceret.] Quid? Addendum ergo eſt pronomen *eum*, ut intelligi poſſit quid noſter cenſor accuratius perpolitum deſideret.

Sed

Sed cum alterius, tum hujus argumenti, in publicum hæc mea editurum decrevi.] Turpis error, pro *edere decrevi.* An hæc non pulchrè procedunt? Et an non melius ſibi conſuluiſſet auctor, ſi ſcribendo ſe abſtinuiſſet, donec ſecundum ſyntaxin loqui didiciſſet; meminiſſetque ejus, qui dixiſſe fertur, canem feſtinantem cæcos catulos parere? Sed auctor literis gratificari voluit, quas perditum iri credidit, ſi non-hoc opus ſuum feliciter cœptum, bono publico emiſiſſet. Nam ipſe, ſi diis placet, *Collapſam Themidem, magno turbante tumultu, Reſtituet.*

Ut veræ Juriſprudentiæ Mecœnates.] *Mæcenates* dicimus, non *Mecœnates.*

Videlicet ut corrupta hactenus juriſprudentia civilis, in veſtro præ omnibus celeberrimo Athenæo de integro doceatur, hiſce, quæ intendimus

mus præſidiis, utque fiat ſcientiæ, atque artis ejus in univerſum reſtauratio à debitis excitata fundamentis: nec ibi ſubſiſtat, ſed & ut ad veram, ejus quod juris, praxin, quæ ab aliis maximo ſtudiorum & rerum diſpendio neglecta, transferatur, noſtroque exemplo (ſi modo placuerit) hic, ubi maxime debet, ſi non tyronibus, provectioribus ſaltem, qui in vita ſua eam, neque vident, neque audiunt unquam, tanquam anima corpori ſuo addatur ut velitis atque jubeatis.

Ineptiſſimus loquendi modus, *Peto nobiliſſimi viri, ut velitis atque jubeatis, ut corrupta hactenus juriſprudentia civilis de integro doceatur, utque fiat ſcientiæ in univerſum reſtauratio &c.* Cum omnino ita ſcribendum fuerit. *Peto nobiliſſimi viri, velitis atque jubeatis corruptam hactenus juriſprudentiam civilem, in veſtro, præ omnibus, celeberrimo Athe-*

thenæo, de integro, hiſce quæ intendimus præſidiis, doceri, ejuſque ſcientiæ & artis in univerſum fieri inſtaurationem à debitis excitatam fundamentis; nec ibi ſubſiſtere, ſed & ad veram praxin transferri, & tanquam animam corpori ſuo addi. Iſta enim *velitis jubeatis*, inepte poſita ſunt in fine tam longæ & moleſtæ periodi, ubi vix quiſquam meminit, quid *velle, jubere* debeant; & præterea illa verba jungi debuerunt infinitivo, ut pluribus exemplis oſtendit Briſſon. *de formul. lib.* 2. *in pr.* Addo *reſtaurationem* barbarum eſſe, & nuſquam reperiri. Quin ipſum verbum *reſtauro* barbarum cenſet Scaliger pater, eoque nomine Cardanum, eo ſæpius utentem, reprehendit exer. 195. Et Juſtinus & Tacitus à Scioppio notati ſunt, quod ille *lib.* 2. *bellum reſtaurare*, hic *lib.* 3. *annal. reſtaurare theatrum igne hauſtum*, dixerit.

Ex

Ex Muſæo noſtro.] Credisne illum Græce ſcire, cui latuit *Muſeum*, pro *Muſæo* ſcribendum fuiſſe, quod Græcis Μȣσεῖον dicatur. Suet. *in Claud.* c. 42. *Quarum cauſa veteri Alexandriæ Muſeo alterum additum ex ipſius nomine.* Et ne quis putet hoc typographi vicium eſſe, videat *proleg. in fin.* Et hic eſt, ut hoc repetam, qui aliis exprobrat, quod Græce non noverint. Sed quamvis hæc ad prædictam epiſtolam fortaſſis ſufficiant, quandoquidem tamen noſter cen ſor præterea gloriatur, neminem hactenus extitiſſe, qui ad ſimiles cogitationes animum applicuerit, & dubitat, an talia unquam alicui in mentem venire potuerint, & inſuper, tanquam alter Fabius, collapſam & depravatam juriſprudentiam reſtituturus, modum docendi præſcribere audet profeſſo-

ribus,

ribus, inter quos ipſius præceptores vivunt, Nobiliſſimoſque & ampliſſimos DD. Curatores rogare, ut de hoc opere, auctoriſque inſtituto ſevere atque religiosè judicare velint, aliqua etiam dicenda ſunt, de hoc ejus inſtituto. Totus in eo eſt, ut credat illas Academias ad ſummum felicitatis faſtigium perveniſſe, in quibus profeſſores publicè praxin & theoriam ſimul docent, eoſque doctores omne punctum tuliſſe, qui hæc nunquam inter docendum ſeparant. Ego vero non opinor, ſed ſcio, non poſſe brevius compendium ad dandas peſſum Academias repiriri. Et ſi hæc methodus aliquid vel ad utilitatem & commodum jura diſcentium, vel ad gloriam & dignitatem Academiæ, inque ea jura docentium conferre poſſet, non video quare DD. Colonius & Thienius eam

non

non adhibeant, & ſectentur, cum illis nihil facilius eſſe poſſit, quam praxin ſimul & theoriam docere, pluſque alteruter præſtare poſſit, quam vel plures hujuſmodi nugatores.. Et, ut apertius agam, cum certum ſit publicarum lectionum auditores eſſe Gallos, Germanos, Belgas, Scotos, Polonos, Suecos, Danos, Saxones, Boruſſos, ſi præter jus civile Romanum, etiam praxis in Academiis docenda eſſet, vellem nuperus hic JCtus expreſſiſet, de cujus regionis praxi hoc intelligat; quoniam nulla eſt generalis, & quæ ubique obſervatur. Fortaſſis dicet, omnium populorum & regionum mores & conſuetudines exponendas eſſe: ſed quis tunc erit finis, quis terminus, & quantum temporis concedet juris ſtudioſo ad curſum ſtudii ſui abſolvendum? Præterea quænam ad faſtidium excitandum

dum melior ratio, aut via poterit inveniri, quam ſi profeſſor coram exteris diſſerat, de moribus & patriæ ſuæ conſuetudine, & magno molimine indigenas docere velit, quid apud Antipodes obſervetur? Ut taceam pericula, quibus juventutem exponit profeſſor, qui ſæpius & iterum inculcat, *non obſervatur, ab uſu receſſit, antiquatum eſt*. Nam cum eo ſeculo vivamus, quo perpauci ſedulo, & pertinaciter ſtudia tractant, nihil præter neglectum, ne dicam contemptum, maxima ex parte totius juris Romani expectari poterit, ſi in ipſis Academiis juventuti praxin diſcere liceat. Permittam profeſſorem, ut tanto alacriores & magis attentos reddat auditores, dicere, *hæc lex obſervatur, hoc jus in uſu eſt, hæc conſtitutio etiamnum viget:* cæterum nunquam mihi probabitur, qui ta-

talem vel talem legem ab uſu receſſiſſe publicè docet; præcipue cum jus civile Romanum profiteantur, hujus ſint profeſſores, hoc docere juſſi. Quid? quod etiam nulla ſit lex, quæ ita in totum ab uſu receſſerit, ut nullam utilitatem in foro habeat: & ideo ſatis mirari nequeo, quî noſter cenſor, toties ab amicis admonitus, ſe ipſum adhuc ignoret. Scilicet hic, tanquam Dictator perpetuus, & cui ſoli contigit aliquid præclare cogitare, novam invenit methodum, ſecundum quam juriſprudentia, hactenus corrupta, optime poſſit doceri, & in integrum reſtitui, qui centies invitatus, ut publice in Academia argumenta quædam opponeret, nunquam auſus eſt, nec ſi ſapit, audebit. Hic nos praxin docebit, qui ſemel cauſam agens ſui clientis, eam perorare non potuit, ſed deſiſtere

ſiſtere coactus, poſt illud tempus nunquam advocati munus ſuſtinuit: quique nec praxin unquam exercuit, vel vidit, niſi dum ruſticis à ſecretis, interque eos ut ſecretarius ſedens, quorundam procuratorum, aliorumque cauſas agentium orationes audivit: quique (Deum ſanctè teſtor, me hujus rei ſæpius fuiſſe teſtem oculatum) nec concluſionem in cauſa, ut practici loquuntur, nec ſententiam ſecundum ſtylum & praxin ſcribere poteſt. Et hic tamen Academiæ Lugd. Batav. Curatores rogare, & orare auſus eſt, ut ſevere & religioſe de hoc opere, inque eo propoſita docendi methodo judicare velint. Sed ſcivit ne quidem Deos continuo præſentes adeſſe, etiam ubi rite invocantur. Etenim ſi DD. Curatores precibus hujus hominis locum conceſſiſſent, jam pœnas

dediſſet tam importunus orator, damnataque publicè fuiſſet illius methodus, juſſumque totum hanc cenſuram deferri ad οἰσσωτηπώλιδας ex proximis locis hanc in urbem venientes, ut inde involucra procurent ſuis mercibus, quo manus emptorum à pinguitudine alioquin adhæſura defendantur.

Et quamvis hæc epiſtola tot viciis & ſolœciſmis referta ſit, non minora nec pauciora tamen in aliis partibus hujus cenſuræ deprehendes: adeò ut veriſſime dici poſſit, eum ubique eâdem chordâ oberraſſe. Jam quod prolegomena attinet, quæ me examinaturum ſpopondi, ſtatim in principio hæc occurrunt.

Verum enimvero, num ſatis juſtæ audiantur illorum voces? ſubſiſto: quo eos, qui quotidie in acie & palæſtra diſceptationum civilium cauſarum ſtant,

ſtant, & circa deciſiones illarum ſunt occupati, conteſtur: ſæpene illis occurrant viſionum hydræ, & machera inexplicabiles.] Nec ſenſus erit horum verborum, nec verba cohærere poterunt, niſi pro *quo eos*, ſubſtituamus *& eos*, & pro *ſæpene*, *an non ſæpe*, & poſt verbum *reperiuntur*; ponatur ſignum interrogationis. Quid autem hic ſignificent *machæræ*, (ille per imperitiam ſine diphthongo ſcripſit) non intelligo.

Proinde caſuum, quæſtionumve indies exorientium varietatem qui intuetur, nullus inficias ibit, plures potius à nobis expeti libros, quam ut illorum multitudine onerati ſtomachus moveatur.] Et hæc aut interpretem, aut emendatrices manus deſiderant, legendumque *quam ut cuiquam, quaſi illorum multitudine oneremur, ſtomachus moveatur.*

Quum enim juriſprudentia, juſti-

atque injuſti ſcientiam, divinarum, humanarumque rerum notitiam profiteatur.] Nova certe & inaudita doctrina. Nam ſi juriſprudentia eſt divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia, allegata *l.* 10. *§.* 2. *ff. de juſt. & jur.* non poteſt juriſprudentia vel notitiam, vel ſcientiam profiteri. Et hic eſt qui leges penitius, quam quiſquam alius inſpexit. En corculum Papiniani, en jecuſculum Ulpiani.

Juſtitiæ ſarta tecta maneant.] Egregius hic erat ſolœciſmus, ſed currente prælo meliora edoctus, hunc in *faſcic. emend.* correxit.

Cui ſi quis juſtitiam detrahat, improbitatis duntaxat, non etiam boni alicujus cauſam præbiturus ſit.] In *faſcic. emend.* ſcripſit noſter cenſor, *malim legendum præbitura.* Ego mallem eum tacuiſſe. Nam primum inepte dicit *malim legendum.*

pro

pro *malim legi.* Deinde æque commode legitur *præbiturus*, ac *præbitura.* Quod ſi tamen auctor præciſe velit *præbitura*, illudque verbum ad *fortitudinem*, de qua paulo ante locutus erat, referre, debuiſſet quoque ſcribere *præbitura eſt*, non *ſit.*

Οἱ δὲ νόμοι, κοινοὶ καὶ τεταγμένοι τοῦτο πᾶσιν.] Hæc exſcripſit noſter cenſor ex prima Demoſthenis contra Ariſtogitonem oratione. Cæterum non potuit melius ignorantiam ſuam in Græcis prodere. Nam cum ignoraret *ταὐτὸ* vel *ταυτὸν* ſæpius dici pro *τὸ αὐτὸ*, quod *idem* ſignificat, contra fidem omnium exemplarium ſcripſit *τοῦτο πᾶσιν*, pro *ταυτὸ πᾶσιν*, credens hoc pronomen eſſe nominativum vel accuſativum caſum pronominis *τοῦτο.*

In artibus quidem, ut ne quid de illiberalibus, & Mechanicis, de li-

beralibus etiam ſatis ſuperque conſtat.] In his, & quæ ſequuntur uſque ad verbum *turbarent*, non unus occurrit ſolœciſmus. Primum enim hæc nec cohærent, nec ſenſum habent. *In artibus quidem de liberalibus etiam ſatis ſuperque conſtat*; & tamen hæc conjungenda ſunt, quia illa, *ut ne quid de illiberalibus, & Mechanicis*, quaſi in parentheſi, nobis offeruntur. Legendum itaque, *In artibus quidem liberalibus ſatis ſuperque conſtat*. Deinde pudendus eſt error contra ſyntaxin, (ut taceam quod ſcripſerit *inventos*, pro *inventas*, quoniam hunc errorem in *faſcic. emend.* correxit) *Satis ſuperque conſtat Grammaticam, Dialecticam, & ſi quæ ejus generis plures, omnes propter depravatos hominum mores, incommodo magis quam commodo humani generis inventas, neque ulterius in republica utiles animadvertuntur,*

&

& omninò legendum *non ulterius in republica utiles animadverti.* Præterea barbara ſunt hæc, *pernicioſiſſimæ, ſi & quatenus eam deſtruerent & turbarent*, quod vicium ut evitari poſſit, ſubſtituenda hæc ſunt. *Easque pernicioſiſſimas fore, quatenus eam deſtruerent, aut turbarent.* Quamvis ego non capiam, quare iſtæ diſciplinæ magis incommodo, quam commodo generis humani inventæ dicantur.

Quin iiſdem de cauſis plus obſint humano generi.] Neque hic ſolœciſmus evitari poterit, ſi non hoc modo, hunc locum emendemus. *Neque aliter in omnibus omnium rerum ſcientiis ſeſe res habet, quas certum eſt iiſdem de cauſis plus obeſſe humano generi, & in republica civium ſocietati, quam prodeſſe, &c.*

Quæque huic (ſed depravato more) dextram claudere ſolet.] Quare

dicat eum qui Theologiam docet, ex depravato aliquo more dextrum latus claudere ejus, qui juriſprudentiã docet, non capio. Nam cum uterque ſit homo ſine poteſtate publica, uterque vir bonus, & neceſſe ſit, ſi doctores Theologiæ & Juriſprudentiæ ſimul incedant, alterum alteri à dextra eſſe, & præterea Theologus habeat λόγον σοφίας, id eſt, ſermonem ſapientiæ, & Juriſconſultus ſolummodo λόγον γνώσεως, id eſt, ſermonem ſcientiæ, cognitionis & prudentiæ, 1. Cor. 12. verſ. 8. & quidem in illis tantum, quæ ad temporalia jura civium, eorumque temporalia commoda pertinent, non video, quomodo in prædicto ordine non ſit præferendus ille, cui Deus λόγον præſtantiorem & eminentiorem conceſſit. Quod ſi extra illum ordinem & in ſe, & Theologus & juris peritus

peritus conſiderentur, dubio procul is maxime honorandus erit, qui optimus eſt, & pluribus prodeſt. Ut nihil dicam de phraſi *dextram claudere*, qua nemo uſus eſt.

Ut nec ipſa Theologia eâ ſit potior in iis, quæ de fidei actionibus tractat.] Nova ſanè doctrina, qua negatur, Theologiam Juriſprudentia potiorem eſſe in iis, quæ de fidei actionibus in Theologia tractantur. Etenim, cum actiones fidei, ſint ejus profeſſio, vel opera, quæ fides hominibus ſuadet, atque imperat (qualia ſunt V. C. proximum diligere, injurias non ſolum pati, ſed condonare, eaque omnia facere, ut magis Deo aſſentiamur quam pareamus) vel ea opera, quæ quidem nondum fecimus, ſed in fide facere poſſumus, & facere parati ſumus, mirum erit, ſi potius ex jure Romano

(de Romana enim, ſive humana Juriſprudentia novum noſtrum Theologum loqui, neceſſe eſt, quia Juriſprudentia divina à Theologia non differt) quam ex S. Scriptura diſcere debeamus, quid in fide loquendum vel faciendum nobis ſit, & quæ opera fides ſuadeat. Nam cum teſtimonium Dei ſcire non poſſumus, niſi ex revelatione divina, nullaque ſit revelatio in Juriſprudentia humana, utique in docendis & præcipiendis fidei actionibus, Juriſprudentiâ Theologia potior eſt; poſita enim ea revelatione, & apertiſſima voluntate Dei, conſcientia dictat, quid fidelis facere, quid omittere debeat, & quid in fide facere poſſit.

Illa namque quæ de Deo agit, non jubetur, ſed creditur, magiſque perſuaſionem, quam doctrinam, aut ſcientiam ſpectat.] S. Scriptura exhibet,

hibet, & narrat nobis, quicquid Deus revelavit; idque dignum Deo, & iis omnibus, quæcunque homo de natura Dei, de ſe & ſuo officio, ſuâque corruptione, & innata depravatione novit, conveniens eſſe patet. Præterea mendacia, & omnia alia crimina, quæ gloriæ Dei officiunt, Scriptura reprehendit, jubetque ut Deum ex toto corde amemus, atque diligamus, docetque hoc primum, atque maximum eſſe præceptum. S. Scriptura ergo & docet, & jubet; & iſta ſcire, nihil aliud eſt, quam Theologia.

Quid, quod Theologicæ ſcientiæ Juriſprudentiam eſſe gubernatricem, vel eo patet.] Quid ineptius excogitari poteſt, quam hominum cogitationes eſſe gubernatrices eorum, quæ Deus, ad inſtruendum & erudiendam ho-

minum conſcientiam, locutus eſt.

Quod hæc nulla fere præter generalia quædam vivendi præſcribat, & quidem naturalia, ac proinde ipſi juri conſentanea.] Triplici jam ratione novus hic Theologus probare conatur, juriſprudentiam Theologiæ gubernatricem eſſe. Quarum prima eſt, quod Theologia nulla fere (obſcurè autem *hæc* ſcripſit, pro *illa*, quoniam noviſſime de juriſprudentia locutus erat) præter generalia quædam vivendi *monita* (hanc enim vocem hic omiſſam in *faſcic. emend.* addere maluit, quam *præcepta*, quaſi id quod Deus locutus eſt, & etiam hæc, *maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat*, *Deut.* 27. *verſ.* 26. *Galat.* 3. *verſ.* 10. præceptum non haberent) contineat. Secunda, quod hæc

hæc monita tantum ſint naturalia, & proinde juri conſentanea; & tertia, quod de rebus quam plurimis ne quidem præcepta inveniantur. Cæterum pudet me hujus Theologi, ejuſque Theologiæ. Etenim ſi Theologia generalia vivendi monita præſcribit, jam erit domina juriſprudentiæ, quia ea quæ in ſingulis caſibus decernenda ſunt, ſecundum generalia illa monita, quæ inſtar lapidis Lydii ſunt, ad quem omnia de moribus & juſtitia ſunt examinanda, decerni debent. Et alias dicendum eſſet, juriſprudentiam etiam rectæ rationis gubernatricem eſſe, cum & hæc tantum monita & præcepta generalia contineat; quod tamen tantum abeſt à vero, ut juriſprudentia ars & ſcientia ſit, non gubernatrix, ejus, quod recta ratio dictat, ſive boni & æqui, *l. 1. ff. de juſt. & jur.* quam

quam legem noſtrum JCtum non intellexiſſe, poſtea ad omnes apparebit. Sed fortaſſis ad ſui defenſionem noſter cenſor allegabit, Theologiam *quædam* tantum generalia vivendi monita præſcribere; verum reſpondebitur, nec ipſum jus civile de omnibus caſibus, qui evenire poſſunt, loqui, ipſo Juliano hoc fatente *in l.* 12. *ff. de ll.* & generalia illa monita ſufficere, ut Theologia maneat tanquam amuſſis & norma juriſprudentiæ: imo vel hoc unum ſufficit, dilige proximum tuum, ſicut te ipſum, Matth. 19. v. 19. 22. v. 39. Rom. 13. v. 9. 10. Jac. 2. v. 8. quoniam ex hoc generali præcepto duo alia principia oriuntur, quæ ſunt fundamentum, norma & conſervatio totius vitæ civilis, nempe, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & quæcunque volueris, ut tibi faciant homines, ea & tu

tu facito illis. *Matth.* 7. *verſ.* 12. *Luc.* 6. *verſ.* 31. & hæc duo ſunt illud bonum & æquum, juſtitia illa naturalis, cujus juriſprudentia *ars* dicitur *in d. l.* 1.

Quod autem ſecundam rationem, à noſtro Theologo adductam attinet, illa primâ ineptior eſt. Quis enim mortalium audivit, naturalia præcepta juri poſitivo & civili (de hoc enim noſtrum cenſorem locutum eſſe, certum eſt; quoniam hoc jus, juri naturali opponit, & unum tantum & ſimplex jus naturæ agnoſcit in *faſcic. emend. pag.* 2.) eſſe conſentanea? imo jus poſitivum cum præceptis naturalibus convenire debet, & ab iis in totum non poteſt recedere, quia immutabilia ſunt, §. *pen. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* ſed propter ſummam neceſſitatem, tantum aliqua ex parte poteſt; & inde ortum jus civile,

civile, *l. 6. ff. de juſt. & jur.* Et proinde, fingamus jus civile & poſitivum conſentaneum eſſe illis generalibus monitis in verbo Dei traditis, an nihilominus ineptum non eſt, propterea dicere juriſprudentiam Theologiæ eſſe gubernatricem? Aut an putat noſter Theologus, ſervum, qui domino ſuo auſcultat, heri ſui eſſe gubernatorem? Imò, quod plus eſt, ponamus juriſprudentiam nihil continere, præter præcepta generalia, quæ apud omnes gentes, nullâ excluſâ, in uſu ſunt, non tamen propterea gubernatrix Theologiæ dici poterit. Nam, cum certiſſimum ſit, omnes homines errare poſſe, & credere, aliquid dictari à recta ratione, juſtumque eſſe, quod tale non eſt; & nunquam quem certum eſſe poſſe, rationem ſuam vel in condendo, vel in diſtribuendo jure neuti-

neutiquam errare, quamdiu certus non eſt, illam rationem à generalibus Dei præceptis non deflectere; veriſſimum eſt, juriſprudentiam non eſſe gubernatricem Theologiæ, ſed ad ejus normam & amuſſim eſſe examinandam & explorandam.

Et ex his tertia ratio, à noſtro cenſore allata, corruit. Nam, etiamſi tota S. Scriptura hoc unicum præceptum tantum contineret, diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, vel hoc unum ſufficeret, ut Theologia maneat regula & norma totius juriſprudentiæ & vitæ civilis, quoniam hoc unum præceptum continet expletionem legis, ut loquitur Apoſtolus ad Rom. 13. verſ. 10. cum nemo hoc præceptum obſervare poſſit, quin antea ex toto corde dilexerit Deum, quæ etiam eſt ratio, ob quam Pſalmiſta ex ſolis

lis præceptis ſecundæ tabulæ argumentari videatur in Pſalm. 15.

Sed quæ propter caſuum, negotiorum, & ingeniorum varietatem non multum conducunt, magiſque incertos reddant) ita enim in *faſcic. emend.* ſubſtituit pro *reddat*) *quid agendum, quam certos, & ſibi conſtantes homines, his præſertim, qui minus exacti ſunt judicii.*] Egregium elogium verbi Dei, præcepta in eo tradita non multum conducere, magiſque incertos, quid agendum, quam certos homines reddere. Et, ſi verum hoc eſt, quo jure culpantur Pontificiæ ſectæ Doctores, quod laicis S. Scriptura interdicant? deinde ſi hoc falſum non eſt, dandum conſilium noſtro cenſori, ut poſthac ſacras literas non legat, quoniam ubique ſatis incertus eſt. Sed nos, omiſſis in re ſeria nugis, ſcimus Dei monita homines reddere attentos, &

eos,

eos, qui bonam conſcientiam quærunt, certos. Nam, quamvis humana præcepta ſatis ſpecialia eſſe poſſint, eaque adimplendo, homo in conſcientia tutus eſſe poſſit, ſe *bonum* feciſſe, quia legi Principis paruit, nunquam tamen poterit eſſe ſecurus, & ſcire ſe feciſſe *bene*, quamdiu non fuerit certus, factum, quod fecit, non deflexiſſe à voluntate Dei. Interim monendus eſt noſter Theologus, ut poſthac ſibi cavere poſſit à viciis ſyntacticis, regulam in ſyntaxi talem eſſe, *conjunctio ſimiles caſus in declinabilibus, ſimiles modos in verbis copulat*, proindeque ſcribendum fuiſſe *reddunt* non *reddant*; ut taceam illum contra ſyntaxin ſcripſiſſe *his præſertim*, pro *hos præſertim*. Et hæc typographi vicia non eſſe, ex eo apparet, quod in *faſcic. emend.* *reddant*, pro *reddat*, ſubſtituerit,

rit, cæterorumque non meminerit.

Illud namque jus divinum ſi generaliter hoc ita vocare velimus, ex civili, & uſitato in republica jure omnino ſupplendum, atque interpretandum.] Hobbianum hoc eſt. Nulla etenim auctoritas in mundo eſt, vel jam eſſe poteſt, quæ jus aliquod, quod pars ſit juris divini, condere poſſit. Nulla, quæ jus divinum indubitatè interpretari queat.

Nullatenus ex ingenio miniſtrorum.] Fateor, hoc verum eſſe; ſed non plus hic concedam principi, quam miniſtris verbi divini, vel alii privato homini. Nullius enim eſt verbum Dei interpretari cum poteſtate, quemadmodum de Chriſto dicitur Matth. 7. verſ. 29. Sola ad conſcientiam pacandam valet revelatio & ἀπόδειξις ex verbo Dei. Nullus monarcha vel

fa-

facere, vel abrogare vel mutare religionem poteſt. Hæcque eſt ſacra anchora, quæ nos contra pontificiarum traditionum tempeſtates defendit, & in æternum defenſura eſt.

Quod ſi detur, ut juri civili diſſentaneum illud fingatur: eveniet, ut ſocietati civili obſit, & adverſarios &c.] Horrendum ſane hoc eſt, imo διαβολικόν. Quis enim mortalium eo dementiæ proceſſit, ut dixerit, jus divinum, ſi diſſentiat à jure humano, magis obeſſe, ſocietati humanæ, quam prodeſſe? Quis barbarus tam impius, tam ab omni numinis reverentia alienus, ut juriſprudentiam humanam, regulam & normam juris divini, Deumque Optimum Maximum, hominum, à quibus diſcere debuit, diſcipulum facere, fuerit auſus? Ergo, ſi aliquis ex Apoſtolis, vel ipſe Servator noſter

Ægy-

Ægyptios vel Lacedæmonios (apud quos furta & impunita & licita fuerunt) octavum Dei præceptum docuiſſet, hoc ipſum illis damnoſum, non commodum fuiſſet, eaque doctrina magis illis obfuiſſet quam profuiſſet, quod illorum juribus adverſaretur. Apage iſtam doctrinam.

Et vel in eo omnium in omnibus juriſprudentiæ elucet potentia.] Oedipo opus eſt, ut hæc intelligantur.

Eamque juvare, ſi proderint, debeant.] Egregia ſubtilitas. Et ſcire vellem, quomodo reliquæ ſcientiæ juriſprudentiam poſſent juvare, & tamen non prodeſſe.

Sed à Deo optimo maximo acceptam ferre debet.] Acceptum alicui referre dicimus, non ab aliquo. Cic. *Vitam acceptam refert clementiæ tuæ.* Idem. *Quod Senator, quod civis, quod liber eſt, mihi acce-*

acceptum refert. Deinde dicitur *acceptum referre*, non *acceptum ferre*. Neque mihi latet JCtos noſtros dicere, *accepto* & *acceptum* ferre, & Scævolam ſcripſiſſe, *Titius Mævius dico me accepiſſe, & habere, & accepto tuliſſe à Gajo Titio reliquum omne, in l. ex pluribus, 89. ff. de ſolut. & lib.* Verum longe alia in ſignificatione JCti hac phraſi *acceptum ferre*, quam noſter cenſor, & alii utuntur. Nam apud JCtos creditor dicitur accepto ferre debitori, cum nihil à debitore acceperit, ſed id, quod ſibi debebatur, remiſerit; at in uſu, quo noſter cenſor hac phraſi uſus eſt, ille acceptum refert, qui ſe aliquid accepiſſe fatetur. Deinde regulariter JCti non dicunt acceptum ferre ab aliquo, ſed alicui, *l.* 19. *l.* 16. *pr.* & §. 1. *ff. de accept.* & particula *à* in *d. l.* 89. adjecta fuit propter verba *acce-*

piſſe,

piſſe, habere; quamvis alii eam ſpuriam putent. Plane in codice edito Anno 1583. illa particula incluſa eſt virgulis.

Quippe quod Deus, pro ſingulari ſua providentia in genus humanum &c.] Hæc omnia uſque ad finem periodi deſcripta ſunt ex Arthuro Duck. Cæterum ineptiſſimis ſuis interpunctionibus noſter cenſor totum ſenſum verborum turbavit. Sed ſi populus Romanus tales leges ſocietati humanæ præſcripſit, quales hic commemorat auctor, quid ſibi vult ejus *Cenſura forenſis*? Et tamen *cenſuram* dixit, pro reprehenſione, vel emendatione, vel caſtigatione. Quin tunc potius *cenſura* praxis ſcribenda fuiſſet, quatenus hæc à jure illo deflexit. Planè illud meo judicio ineptum eſſe, non poſſe in poſterum ab ullo rege populove dari leges tam juſtas, tam

tam ſalutares, quales fuêre Romanorum, propterea quod illorum poſtrema fuerit, nec alia ſit futura Monarchia. Nam quæ eſt hæc conſequentia, non poteſt ipſe Deus per ullum regem populumve tales dare leges, quales fuere Romanorum, quia poſt Romanam, nulla erit Monarchia? fateor principem ſolis ſubjectis ſuis leges dare poſſe; ſed quis arcebit alias gentes ab uſu earum legum, ſi eas propter inſignem juſtitiam & æquitatem, quæ in iis emicat, amplecti velint? Et certe, cum ipſe auctor *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 12. fateatur jus Romanum primo Romanis, eorumque ſubditis (ita loquor ut ipſis verbis noſtri cenſori utar) ſcriptum fuiſſe, cæteraſque nationes omnes illud propter ejus excellentiam, æquitatem & utilitatem amplexas eſſe, dubito an ſatis vigilaverit, cum

argumentum hoc ſumeret à ceſſatura poſthac Monarchia. Sed hæc auctori noſtro condonare poſſum, ſecutus enim eſt Arthurum Duck, & eo nondum pervenit miſer, ut juſto poſſit ſecernere iniquum. Illud autem omittendum non eſt, *ſubditum* Latine non uſurpari, pro eo, qui eſt ſub alicujus poteſtate & imperio, alicui ſubjectus (nam *ſubdere* eſt dare & ſupponere in locum alterius) & nuſquam *ſubditum* abſolute pro parente ſive obediente reperiri, ſed tantum (quod tamen rarum) adjecta re dominante, ut apud Tibull. *lib.* 4. *Vidit ut inferno Plutoni ſubdita regna*, & iterum, *Proles Deûm inferno Plutonis ſubdita regno*, quod eſt *ſubjecta*. Perſ. Sat. 5. *Liber ego. unde datum hoc ſumis, tot ſubdite rebus?* quod eſt, *ſubjecte tot dominis*. Et præterea in tranſitu notandum,

d. num.

d. num. 12. ex verbis, *aliæ omnes nationes tacito quaſi utentium conſenſu illud amplexæ ſunt*, hæc duo, *quaſi utentium* expungenda eſſe. Nam nationes & utentes unum idemque ſunt.

Adeoque ut vel ex ipſis ſolummodo legum inſcriptionibus, de occulta alias eorundem ſententia judicari probabiliter poſſit.] Hoc loco, qui Tireſias & Phineus eſt, & in rebus claris & manifeſtis Thamyras cæcitate ſuperat, Lynceus ſibi videtur. Et ſi talis eſſet in ſyntaxi, non ſcripſiſſet *eorundem legum*, pro *earum*.

Vetuſtiſſimus omnium Q. Mutius Scævola eſt.] Hoc loco noſter cenſor pergit enarrare JCtos, ex quorum ſcriptis pandectarum libri compoſiti ſunt, & ſimul tradere libros, ex quibus leges ſunt excerptæ. Et quamvis hic nihil egerit, quod non minimus ex tyroni-

bus in juriſprudentia, præſtare poſſet, tamen nullo pacto inſcitiam ſuam apertius prodere, & demonſtrare potuit, quam parum verſatus ſit in lectione legum civilium, quam hoc negotium tractando. Nam cum nullum juris civilis corpus editum ſit, cui non ſit affixus index Juriſconſultorum, ex quorum libris digeſta ſunt compoſita, noſter cenſor unum ex illis exſcripſit, ut novum aliquod opus, novumque eorum catalogum ſtudioſis exhibere videretur. Sed ignoravit omnes eſſe imperfectos; & hinc non tantum tot numero errores commiſit, quot in iſtis indicibus occurrunt, ſed & infinitos alios. Et hic tamen, ſi diis placet, grandem & juſtam omnibus juris doctoribus & profeſſoribus dicam impegit, quod ſe invicem, ceu grus gruem, fuerint ſecuti, qui ipſe *lib.* 2. *cap.*

15. *num.* 18. Neoſtadium ſecutus Guid. Pap. *dec.* 352. allegat,apud quem *d. loco* nihil tale reperitur.

Huic ſucceſſit Salvius Julianus qui floruit Hadriani temporibus.] Quaſi non etiam Labeo Hadriani temporibus floruerit.

Quod centum & nonaginta libris interpretatus eſt.] Fortaſſe credit ἐνενήκοντα (quæ vox occurrit in indice Florentino) ſignificare centum & nonaginta. Deinde ipſe index Florentinus vicioſus eſt; non enim nonaginta tantum libros digeſtorum Julianus ſcripſit, ſed præterea ſupra eum numerum, quatuor, ut apparet ex inſcriptione *l.* 32. *de ll.* In eo quoque noſter cenſor errat, quod putet Julianum librum de *antiquitatibus* ſcripſiſſe, hoc enim falſum eſt, ſed ſcripſit librum de *ambiguitatibus*, qui etiam in vulgatis indicibus recenſetur.

Advocantur, & Neratii Priſci Trajani Imp. Familiaris.] Cum noſter cenſor promittat ſe ordine narraturum Juriſconſultos, & melius quam factum eſt in prælimi-nari indice (ſic enim loquitur *pag.* 8.) non capio, quare Labeonem & Julianum Neratio præpoſuerit, cum Neratius Trajani, conſiliarius fuerit, ut patet ex *l. ult. ff. ſi à par. quis man.* illi ſub Adriano, Trajani ſucceſſore, vixerint. Et hoc auctor non potuit ignorare; ſcribit enim Neratium Trajani Imperatoris (Cicero dixiſſet Trajano Imperatori) familiarem fuiſſe. Quod præterea auctor tradit Neratium tres reſponſorum libros ſcripſiſſe, exque iis nos leges in pandectis habere, non convenit cum iis quæ Cujac. *in oper. poſt. in recitat. ſolemn.* ad Neratium ſcripſit, ibi enim diſerte teſtatur, nos ex reſponſis Neratii duos tantum

tum libros, vel potius duorum tantum librorum ἀποσπασμάτια habere.

Voluſius Metianus habitus eſt celeber: Veniunt huc illius libri fideicommiſſorum ſedecim, publicorum quatuordecim.] Juriſconſultus Voluſius Mæcianus (ita enim ſcribendum fuit, non Metianus, dictus enim fuit Μαικιανὸς) ſcripſit præterea ad legem Rhodiam, ut certum eſt ex celebri lege Ἀξίωσις 9. *ff. ad l. Rhod. de jact.* Sed hoc noſter cenſor ſcire non potuit, quoniam in Florentino indice hujus tractatus non fit mentio.

Julius quoque Celſus digeſtorum libros unde quadraginta compoſuit, Inſtitutionum viginti, epiſtolarum tredecim.] Juventium Celſum (ita enim hunc Juriſconſultum dictum fuiſſe apparet ex *l.* 29. *&* 30. *ff. de leg.* 2. *l.* 29. *ff. qui teſt. fac.* non Julium qui ejus pater fuit) dige-

ſtorum libros triginta & novem ſcripſiſſe, & ex hoc noviſſimo libro nos habere fragmenta in pandectis, apparet ex *l.* 3. *ff. ne quid. in loc. pub.* & ex *l.* 98. *de V. S.* verum quod tradit ipſum præterea ſcripſiſſe inſtitutionum libros viginti, epiſtolarum tredecim, ejuſque rei veſtigia extare in pandectis, falſum eſt. Sed deceptus eſt à Bernardino Rutilio in *Vit. Juriſconſultor.* quem fideliter exſcripſit, qui tamen excuſari poteſt, quod tradere voluerit ea quæ Juriſconſulti dum viverent, ſcripſere, etiamſi nullum fragmentum ex illis libris in digeſtis reperiretur; at noſter cenſor tantum eos libros narrare voluit, ex quibus pandectas compoſuit Juſtinianus. Deinde non intelligo quare Celſo præpoſuerit Labeonem, cum Labeo Celſum conſuluerit, ut patet ex *d. l.* 29. *ff.*

qui

qui teſt. fact. poſſ. & Pomponius Celſi meminerit in *l.* 2. *in fin. ff. de Or. jur.* non Domitii Labeonis.

Sed & Alburnius Valens Fideicommiſſorum ſeptem.] Similis error hic occurrit. Præponit Aburnum ſive Aburnium Valentem (ita enim vocatur à Pomponio in *d. l.* 2. *in fin. de or. jur.* & Paulo in *l. quæſitum.* 78. §. *pen. de leg.* 3. non Alburnius) Javoleno, & ſic diſcipulum magiſtro, ut apparet ex *d. l.* 2. *in fin.* Sed fortaſſis credidit Valentem propter inſignem eruditionem præferendum fuiſſe Javoleno; quemadmodum ſe ipſum noſter cenſor omnibus juris doctoribus, & etiam præceptoribus ſuis præponit. Cum tamen miſere noſter cenſor hic iterum deceptus ſit à vulgatis indicibus, oſtendatque ſe nunquam vidiſſe *l. ult. ff. ut in*

poſſ. leg. ex cujus inſcriptione patet, Valentem etiam actionum libros ſcripſiſſe.

Marcellus ſub Severo fideicommiſſorum ſcripſit unum, ſex ad leges.] Vellem ſcire legem excerptam ex hoc libro de fideicommiſſis. Deinde oſcitanter legit vulgatos indices, oblituſque eſt libri *reſponſorum*, ad quem non tantum ſcripſit Cujacius, ſed cujus ſæpiſſimè in jure noſtro fit mentio, ut in inſcriptione *l. 24. ff. de conſt. pec. l. 34. ff. de pig. act. l. 36. ff. de cond. & dem. l. 38. ff. mandat. l. 38. ff. ſol. mat. l. 53. ff. de her. inſt. l. 123. de leg. 1. l. 6. ff. de aur. leg. l. 3. ff. de off. par. & patr. præſt. l. ult. ff. de fideic. lib. l. 24. ff. de fidejuſſ.* & librorum *digeſtorum*, quos plûres Marcellum ſcripſiſſe apparet ex inſcriptione *l. 18. ff. de adopt. l. 20. eod. l. 38. eod. l. 2. ff. de Senator. l. 7. ff. de reſt.*

in

in int. l. 34. 36. ff. ad l. Aquil. l. 2. ff. de mort. inf. l. 35. ff. de rel. & ſumpt. fun. l. 28. de leg. 2. l. 3. ff. de his quæ in teſt. del. l. 10. ff. de jur. delib. l. 3. ff. de ſerv. leg. l. 54. 55. 56. 57. ff. ad l. Falcid. l. 72. 73. ff. de ſolution. ex qua ultima lege præterea apparet, verum eſſe, quod in vulgatis indicibus legitur. Ad hæc injuriam fecit huic Juriſconſulto, quod neglexerit tradere, illum ſcripſiſſe *publicorum* libros duos, ut apparet ex inſcriptione *l. 22. ff. de his qui not. inf.* ſecundum editionem Florentinam, Haloander enim hanc legem Marciano adſcribit; Et quod omiſerit illum ſcripſiſſe de *off. præſ.* quod tamen manifeſtum eſt ex inſcriptione *l. 43. ff. de minor.* (ſi qua fides editioni Florentinæ, nam Haloander illam legem Macri eſſe dicit) ad hæc *ad Julianum*, ut notum eſt ex inſcriptione *l. 5.*

ff. de her. inſt. l. 14. *ff. de in rem verſ. l.* 80. *de leg.* 1. *l.* 20. *ff. de cond. & dem. l.* 34. *ff. ad l. Falcid. l.* 75. *eod.* nec non ad *librum ſingularem regularum Pomponii*, ut cuivis videre licet ex inſcriptione *l. furioſus*, 63. *ff. de adq. her.* Neque tē turbare debet, mi Philonome, quod Marcellus ſub Septimio Severo, Pomponius ſub Alexandro floruerit. Nam certum eſt Pomponium una cum Marcello vixiſſe, & ipſum, cum ad ſummam ætatem pervenerit, uti tradit in *l. apud Julianum*, 20. *ff. de fid. lib.* etiam Alexandrum regnantem vidiſſe. Et certè, quamvis magna injuria ſit, qua noſter cenſor Marcellum affecit, ignoſcendum tamen ei puto, quia injuria ex affectu facientis æſtimatur, *l.* 3. §. 1. *ff. de injur.* & hæc ſcire ille non potuit, cum nec vulgati indices, nec Rutilius horum

rum librorum meminerint, adeo ut ejus imperitiæ & imprudentiæ ſuccurrendum ſit,ſecundum *l*.108. *de R. J.*

Item Javolenus, cujus acciti huc libri ſunt ex Caſſio quinque.] Imo Javolenum plures, quam quinque libros ex Caſſio ſcripſiſſe, non tantum ex Vulgatis indicibus ſciri poteſt, ſed & apertiſſimum eſt ex *l.* 16. *ff. de adopt. l.* 21. 33. *ff. de oper. lib. l.* 28. *ff. de ſtat. lib. l.* 12. *ff. de mun. & hom. l.* 111. *de V. S.* quæ omnes ſunt Javoleni *lib.* 6. *ex Caſſio.* & *l.* 36. *ff. mandat. l.* 63. *ff. de cont. empt. l.* 16. *ff. de per. & com. rei vend. l.* 18. *ff. de act. empt. l.* 5. 7. *ff. pro legat.* quæ ſunt ex *libro* 7. & *l.* 28. *ff. de neg. geſt. l.* 37. *ff. locat.* ex *lib.* 8. *l.* 14. *ff. de int. in jur. fac. l.* 51. *ff. mandat.* ex *lib.* 9. *l.* 12. *ff. de ſerv. præd. urb. l.* 13. *ff. de ſerv. præd. ruſt. l.* 14. *ff. quem. ſerv. amitt. l.* 18. *ff. de aq. pluv.*

pluv. arc. l. 2. *ff. de via publ. l.* 4. *ff. comm. præd.* ex *lib.* 10. *l.* 58. *ff. de adq. rer. dom. l.* 104. *ff. de V. O. l.* 112. *ff. de V. S. l.* 39. *ff. de rec. qui arb.* ex *lib.* 11. *l.* 33. *ff. de pecul. l.* 35. *eod. l.* 2. *ff. de in rem verſ. l.* 9. *eod.* ex *lib.* 12. *l.* 5. *ff. de tab. exh. l.* 198. *de R. J.* ex *lib.* 13. *l.* 37. *ff. ad l. Aquil. l.* 113. *ff. de V. S. l.* 60. *ff. ad l. Falc. l.* 24. *ff. de donat.* ex *lib.* 14. *l.* 8. *ff. quod cuj. univ. l.* 9. *ff. de in lit. jur. l.* 14. *ff. de compenſ. l.* 71. *ff. de furt. l.* 73. *eod. l. ult. ff. arb. furt. cæſ. l.* 13. *ff. de mun. & hon. l.* 114. *ff. de V. S. l.* 34. *ff. de jud.* ex *libro* 15. ejuſdem auctoris. An igitur noſter cenſor non eſt elegans & accuratus ſcriptor? Præterea ignoravit Javolenum ſcripſiſſe ad *decem libros poſteriorum Labeonis*, quod tamen maniſeſtiſſimum eſt ex *l.* 24. *ff. quib. mod. uſ. am. l. ult. ff. de Servit. l.* 80. *ff. de jur. dot. l. ult. ff. de pact. dotal. l. ult.*

l. ult. ff. ad l. Aquil. l. 77. ff. de cont. empt. l. pen. ff. de injur. l. pen. ff. de teſt. tut. l. 46. ff. de fidej. l. 90. ff. de furt. l. 53. ff. de ædil. edict. l. ult. ff. de fund. dot. l. 41. 42. ff. de uſufr. leg. Sed quomodo potuit hic novitius Juriſconſultus ſupra vulgatos indices ſapere?

Claruit his temporibus etiam Serbidius Scævola.] Et hic præter libros à noſtro cenſore adductos, ſcripſit ad *Julianum*, ut apparet ex inſcriptione *l. ſi pactus*, 54. *ff. de pact.*

Hujus auditor Papinianus ad pandectas offert librum de adulteriis unum, edilitium unum.] Imò præter librum *ſingularem de adulteriis* aſylum illud juris, & theſaurus legum Papinianus ſcripſit duos alios de eadem materia libros; & hoc non tantum ex vulgatis indicibus, & inſcriptionibus *l. 13. 14. ff. de teſtib. l. 6. 8. 10. 11. ff. de adult.*

adult. l. 10. 11. *ff. ad S C. Turpill. l.* 12. *ff. de fund. dot. l. ult. ff. de calumn. l.* 7. 8. *ff. de divort. l.* 6. *ff. de quæſt. l.* 4. *ff. de bon. damnat.* apparet, ſed & Cujacius ad reſponſa Papiniani, ex his tribus de adulteriis libris deſumpta, ſcripſit. Deinde monendus eſt noſter cenſor *ædiles* ſcribi debere, non *ediles*.

Hujus acceſſores ſunt Domitius Ulpianus & Julius Paulus.] Pueri in ſcholis dicerent *aſſeſſores*, ſive *adſeſſores*; & ſi noſter cenſor *tit. ff. de adſeſſoribus* vidiſſet, hoc illum non fugiſſet.

Feruntur Ulpiani libri.] Imo præter libros, quos Ulpianum ſcripſiſſe refert, plures alios ſcripſit, ex quibus leges in pandectis habemus. Et primum ſcripſit libros *diſputationum*, ex quibus deſumptæ ſunt, *l.* 24. *ff. de adopt. l.* 1. *ff. de off. proconſ. l.* 28. *ff. de*

proc.

proc. l. 64. ff. de jud. l. 14. 66. eod. l. 29. ff. de cond. indeb. l. 44. ff. de neg. geſt. l. 67. ff. de jud. l. 7. ff. de tranſact. l. 44. ff. de procur. l. 68. ff. de jud. l. 70. 72. eod. l. 26. ff. de inoff. teſt. l. 3. ff. quib. mod. pign. ſolv. l. 36. ff. de her. inſt. l. 78. de leg. 1. l. 49. ff. ad l. Aquil. l. 30. ff. de cond. ind. l. 1. ff. de adm. rer. ad civit. pert. l. 60. de R. J. quæ tres poſtremæ ſunt ex *libro decimo diſputat.* Ad hæc Ulpianus ſcripſit ad *edictum ædilium curulium* libros duos, ut patet ex inſcriptione *l. 1. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 38. 40. 42. ff. de ædil. edict. l. 55. ff. de evict. l. 65. ff. de furt. l. 13. ff. de legib. l. 31. ff. de pact.* Libros quatuor ad *legem Æliam Sentiam*; quod & fungi ſcire poſſunt ex inſcriptionibus *l. verum eſt* 216. *de V. S. l. 12. 16. ff. de man. vind. l. 30. ff. qui & à quib. man.* præter libros ſingulares *pandectarum*, de *officio*

conſularium, & *excuſationibus tutorum*; ut cuivis notum eſt ex *indice Haloandri*, & inſcriptione *l.* 24. 25. *ff. de reb. cred. l.* 34. *ff. de lib. ca. l.* 7. *ff. de excuſ. tut.* cujus ultimi libri etiam Modeſtinus in *l. Spadonem.* 15. §. *Vlpianus.* 16. *eod. tit.* meminit.

Pauli enumerantur hi: ad edicta octoginta tres.] Hoc falſum eſt. Et omnes indices tantum *octoginta* meminerunt, & Cujacius, qui ad Paulum ſcripſit, tantum *ſeptuaginta & octo.* Sed fortaſſis noſter cenſor ſub hoc numero complecti voluit libros, quos Paulus ad *edictum ædilium* ſcripſit, ut apparet ex *l.* 35. 41. *ff. de evict.* Verum nec hoc modo ſe tueri poterit, quandoquidem Paulus duos tantum ad hoc edictum libros edidit. Prætérea ignoravit Paulum tres libros de *officio conſulis* ſcripſiſſe, quod tamen ab eo factum ex inſcriptio-

ſcriptione *l.* 8. *ff. de pollicit.* apparet. Et nunquam illum vidiſſe *l.* 8. *ff. de cenſib.* ex eo certum eſt, quod Paulum quædam de *cenſibus* in lucem emiſiſſe ignoret. Eadem ex imperitia tradere omiſit, Paulum ſcripſiſſe libros ſingulares ad *legem Fuſiam Caniniam*, quod tamen notum eſt ex inſcriptione *l.* 37. *ff. de cond. & dem. l.* 215. *de V. S.* item de *variis lectionibus*, vide *l.* 1. *ff. de oper. lib. l.* 18. *ff. de inſt. act.* ad hæc ad *Papinianum*, conſule *l. pen. ff. de publ. in rem act.* ad *Labeonem*, *l. ult. ff. de uſucap. l. pen. ff. de adq. rer. dom. l. pen. & ult. ff. de captiv. & poſtl. rev.* ut & ad *Julianum*, adi *l.* 4. *ff. de reſc. vend. l.* 11. *ff. quod met. ca.* (quæ poſtrema male ab Haloandro Marcello adſcribitur) præterea ad *Alfenum*; lege *l.* 9. *ff. ſi pars her. l.* 28. *ff. de cond. & dem. l.* 204. 205. *de V. S. l.* 58. *ff. de rei vind.*

(verum

(verum hæc noſter cenſor ſcire non potuit, totum enim Alfenum ignoravit, cujus tamen plurima in *ff.* reſponſa occurrunt, ut mox dicetur) item de *formulis*, examina *l.* 20. *ff. de except.* de *cognitiodibus*, vide *l. ult. ff. de veteran. l.* 228. *de V.S. l.*.101. *de R. J. l.* 9. *ff. de conf. tut. l. ult. ff. de tut. & cur. dat. l. ult. ff. de excuſ. tut.* (quam ultimam tamen Haloander Papiniani eſſe putat) de *dotis repetitione* conſule *l.* 68. *de R. J.* de *officio aſſeſſorum*, adi *l. ult. ff. de off. præſ. l.* 1. *ff. de off. aſſeſſ. l.* 73. *ff. de procur. l.* 55. *ff. de judic.* de *aſſignatione libertorum*, qui liber ignorari non debuit propter inſcriptionem *l. Senatuſconſulto* 59. *ff. de rit. nupt. l.* 14. *ff. de inj. rupt. irrit. fact. teſt. l.* 30. *ff. de aur. leg. l.* 15. *ff. de adim. leg. l.* 69. *de R. J.* & ad *SC. Turpillianum*, (Haloander maluit Julianum) quod tamen certum eſt,

ex

ex inſcriptione, *l. ult. ff. de rit. nupt. l. ult. ff. ad l. Jul. de vi publ. l.* 21. *ff. ad l. Cornel. de Falſ.* Quid facies hoc homine, amiciſſime, qui cum aliis methodum docendi præſcribere, omneſque reprehendere auſus ſit, interim in iis, quæ vel dupondii ſcire poſſunt, toties tam turpiter erravit, homo ocioſus, & nullis negotiis, ingenuo homine dignis occupatus?

Eodem tempore vixit Pomponius.] Hic præter libros à noſtro cenſore adductos, ſcripſit duos libros *enchiridii*, quod non tantum ex inſcriptionibus, *l.* 239. *ff. de V. S. l.* 2. *ff. de or. Jur. l.* 2. *ff. de juſt. & jur. l.* 8. *ff. de grad. & affin. l.* 13. *ff. de tutel. l.* 107. *ff. de ſolution.* ſed præterea ex omnibus vulgatis indicibus certum eſt, quæ ſi non eſt ſumma oſcitatio, neſcio quæ ſit. Præterea ad pueriles ludos

cenſor

cenſor reducendus eſt, ut diſcat ſcribere, Pomponium *unum librum regularum* reliquiſſe, non *unus*. Deinde ridere lubet hunc hominem, qui, cum jactet ſe tradidiſſe ſeriem Juriſconſultorum, ſecundum tempora quibus vixerunt, poſt Pomponium Maſurium Sabinum collocavit; cum tamen ipſe fateatur Pomponium Alexandri conſiliarium fuiſſe, atque ad Sanum ſcripſiſſe, & Sabinum ſub Tiberio vixiſſe, ex *d. l.* 2. §. *fin. ff. de or. jur.* certum ſit.

Et Sabinus, Capitonis ſucceſſor, juris civilis ſcripſit libros tres, ex Proculo ſingularem, & epiſtolarum libros octo.] Nemo, qui hæc legit, non credet ipſum dicere Sabinum ſcripſiſſe *tres libros juris civilis, ſingularem ex Proculo*, & *epiſtolarum libros octo*. Et tamen hoc dicere noluit, ſed Sabinum ſcripſiſſe *tres libros juris civilis*, &

nos

nos præterea habere *ἀποσπασμάτια* ex *libro ſingulari Proculi*, & ejuſdem Juriſconſulti *epiſtolarum libros octo*. Quamvis ego non capiam hunc loquendi modum; *Ex Proculo ſingularem, & epiſtolarum libros octo*. Præterea ignoro quis ſit ille ſingularis liber, quem Proculum ſcripſiſſe tradit. Et omnino me clam eſt, quare prius Celſi, Ulpiani, Pomponii, quam Proculi mentionem fecerit, cum omnes illi in ſcriptis ſuis Proculi meminerint, *l.* 2. *in fin. ff. de or. jur. l.* 20. *de leg.* 2. *l.* 17. *ff. de jur. patr.* Illud autem perſpicue falſum eſt, Proculum tantum octo libros *epiſtolarum* ſcripſiſſe. Nam *l.* 69. *ff. de cont. empt. l.* 12. *ff. de præſc. verb. l.* 17. *ff. de pact. dot.* deſumptæ ſunt ex *lib.* 11. *epiſtolarum*. Præterea Proculus ad *Labeonem* ſcripſit, ut apparet ex *l.* 10. *§.* 1. *ff. de neg. geſt.* & inſcriptione *l. ult.*

l. ult. ff. de trit. leg. ſi ulla pandectis Florentinis eſt habenda fides. Sed noſter cenſor à vulgatis indicibus deceptus eſt.

Caji deinde, cujus præter nomen, nihil de ejus vita & nomine conſtat.] Fateor hunc loquendi modum, meum captum ſuperare. Præterea doleo ignorantiam noſtri cenſoris. Nam Cajum hunc noſtrum ſub Adriano vixiſſe, vel ex una *l. utrum 7. ff. de reb. dub.* apertiſſimum eſt. Imo illum ad Antoninum Pium, Adriani ſucceſſorem perveniſſe, certum eſt ex *l. nuper 42. ff. de don. int. vir. & ux. l. 96. de leg. 3. l. 90. ff. de cond. & dem. l. 11. ff. de juriſd. l. 63. §. 5. ff. ad SC. Trebell.* in quibus omnibus locis Imperatoris Antonini mentionem Cajus fecit. Quin & ad hujus ſucceſſorem, Marcum Antoninum Philoſophum, apparet ex *l. 9. ff. ad SC. Tertyll.* in qua lege

lege per Sacratiſſimum Principem, neminem, præter Marcum Antoninum Philoſophum, intelligere Cajus potuit,cum SCto Orphitiano cautum ſit illud, quod Cajus ibi tradit, hocque SCtum temporibus D. Marci factum ſit, *pr. Inſt. ad SC. Orphit.* quod & ibidem Vinnius teſtatur. Sed forſitan, judice noſtro cenſore, Vinnius nec hiſtoriam, nec juriſprudentiam ſcivit. Præterea in recenſendis ſcriptis Caji turpiter idem cenſor erravit. Primum enim nunquam mihi probatum eſt, Cajum ad *edictum publicum*, ſive *urbicum* libros quindecim ſcripſiſſe, & indices tantum *decem librorum* meminerunt.Similiter nunquam probatum eſt hunc Juriſconſultum *quatuor libros Inſtitutionum* reliquiſſe; & probo indicem Haloandri, qui tantum *trium* hujuſmodi librorum meminit. Ut ut ſit, cum

nullum reſponſum Caji in *ff.* extet, quod deſumptum eſt ex libro *quarto Inſtitutionum*, & noſtro cenſori tantum propoſitum fuerit, eos recenſere libros, ex quibus ſua fragmenta Juſtinianus collegit, ſine judicio, fidem indicis, Florentinæ editioni præfixi, ſecutus eſt. Sic à cæco ſe decipi paſſus eſt noſter Lynceus, dum tradidit hunc Juriſconſultum *regularum librum unum* ſcripſiſſe. Nam præter *librum regularum ſingularem*, cujus meminit inſcriptio *l.* 21. *ff. de adopt.* tres alios *regularum libros* Cajus edidit, ut ex inſcriptione *l. qui injuriam*, 43. *ff. de injur.* apparet. Deinde male tradere neglexit Cajum ſcripſiſſe librum ſingularem de *tacitis fideicom.* item ad *legem Gliciam*, item ad *SC. Tertyll.* adhæc ad *SC. Orphitianum*, præter duos libros, quos ad *edictum ædilium curulium* ſcripſit;

quo-

quorum tamen librorum non tantum mentio facta eſt in inſcriptionibus *l. 23. ff. de his quæ ut indign. l. 4. ff. de inoff. teſt.* (quam Haloander male Maximo adſcribit) *l. 8. 9. ff. ad SC. Tertyll. l. 2. 3. 13. 18. 20. 22. 24. 32. ff. de ædil. edict. l. 57. ff. de evict.* ſed quoruudam etiam in indice Haloandri, & eo, qui corpori, quod *gloſſatum* imperite vocant, præfixus eſt. Illud etiam ſummam hujus hominis ſocordiam arguit, quod non tradiderit, Cajum tres libros de *verborum obligationibus* reliquiſſe. Etenim eorum librorum non tantum facta eſt mentio in inſcriptionibus, *l. ult. de V. O. l. 15. ff. de duob. reis. l. 16. eod. l. 39. ff. de neg. geſt. l. 28. ff. de ſtip. ſerv.* Sed & in omnibus indicibus, non ſolum ad caput vulgatarum, ſed & Florentinæ, & corporis, quod *gloſſa-*

tum vocant, & Haloandri editionum, affixis.

Ad hæc Venulæi ſtipulationum libri undeviginti.] Condonare huic novitio Juriſconſulto poſſum, quod ignoret Venulæum Saturninum libros *diſputationum* ſcripſiſſe, quoniam de illis in indicibus altum eſt ſilentium, ſed referuntur in inſcriptione *l.* 18. *ff. jud. ſolv.*

Mauriciani ad leges ſex.] An recte poſt Ulpianum Mauricianum retulerit, tu judica ex *l.* 7. §. 2. *ff. de pact. l.* 25. §. 1. verſ. *adhuc intereſſe*, *ff. de uſufr.* in quibus Mauriciani Ulpianus meminit. Præterea ſciendum eſt, Mauricianum, præter *ſex* ad leges libros, etiam de *pœnis* ſcripſiſſe, ut patet ex inſcriptione *l.* 3. *ff. de edend.* ſi qua pandectis Florentinis fides habenda eſt.

Africani quæſtionum novem.]

Peſſi-

Peſſimè hoc loco Africanum poſuit. Nam hic Juliani diſcipulus fuit, teſte Cujacio in *tract. ad Afric. in princ.* adeo ut tantum intervallum duos hos inter Juriſconſultos interjici non oportuerit.

Tertulliani de caſtrenſi peculio unus.] Sic etiam peſſimè poſt Papinianum, Paulum, Ulpianum, collocavit Tertullianum, qui ſub Adriano & Antonino Pio floruit. Eundemque injuria affecit, omittendo referre, eum *quæſtionum* libros ſcripſiſſe; quorum non tantum fit mentio in inſcriptione *l. 27. ff. de legib. l. 28. ff. de adq. poſſ.* ſed & in omnibus indicibus ad pandectarum caput affixis.

Triphoniani.] Tryphoninus, dictus fuit.

Calliſtrati de cognitionibus ſex.] Neglexit tradere Calliſtratum

præterea *quaſtionum* libros edidiſſe; quod tamen eum feciſſe non tantum Rutilius, quem cenſor accuratè alias exſcripſit, teſtatur, ſed & manifeſtum eſt ex inſcriptione *l.* 38. *ff. de legib. l.* 47. *ff. de jud. l.* 74. *ff. pro ſoc. l.* 4. *ff. ad l. Rhod. l.* 72. *ff. de evict. l.* 64. *ff. de rit. nupt. l.* 8. *ff. de jur. dot. l.* 48. *ff. ſol. mat. l.* 37. *ff. de lib. ca. l.* 59. *ff. de adq. rer. dom. l.* 7. *ff. de incend. ruin. l.* 220. *de V. S.* &, quod miraberis, omnes prædicti indices hoc etiam teſtatum reliquere.

Modeſtini reſponſorum undeviginti.] Præter librum ſingularem de *præſcriptionibus*, quem Modeſtinum ſcripſiſſe refert, plures de eadem materia libros Modeſtinus reliquit, quemadmodum illud nemini, cenſore noſtro excepto, latere ſinit celebris lex *puberes* 101. *de V. O.*

Arcadii

Arcadii de teſtibus unus.] Imò Arcadius Chariſius præter librum *ſingularem* de teſtibus, duos alios reliquit, unum de *muneribus civilibus*, ex quo deſumpta eſt *l. munerum*, 18. *ff. de mun. & honor.* alterum de *officio præfecti prætorio*, ex quo excerpta eſt *l. un. ff. de off. præf. præt.* Et hoc vel dupondii ex vulgatis indicibus ſcirent.

Rufini regularum duodecim.] Si noſter cenſor inſcriptionem *l. ſi victum* 34. *ff. de re jud.* vidiſſet, non tam turpiter erraſſet. Sed deceptus eſt à vulgatis indicibus.

Anthii, ſive Publii Furii Anthiani patris, edicti libri quinque.] Cum hæc legerem, vix me continere potui. Scribit Publium Furium Anthianum patrem, libros *quinque* ad edictum ſcripſiſſe. Vervecis ingenium, ovicula mera. An ergo etiam Furius Anthianus filius fuit?

Somniavit ardelio, cum hæc ſcriberet, legitque *patrem*, pro *partem*. Nam & Rutilius, & ſinguli indices ad caput pandectarum affixi teſtantur hunc Juriſconſultum *partis edicti libros quinque* ſcripſiſſe. Et ne credas hoc vicium eſſe typographi. Quamvis enim infinita hujuſmodi vicia paſſim hoc in opere occurrant, maxima ſummæ oſcitationis indicia, tamen nihil tale hoc in loco accidiſſe ex eo apparet, quod poſt verbum *patris*, *comma* poſuerit.

Maximi ad legem Falcidiam. Et epitomarum libri ſex.] Et hic ſumma noſtri auctoris ſocordia occurrit. Neque enim Maximo, ſed Hermogeniano (Hermogenes à Lampridio in Alexandro vocatur) hoſce epitomarum libros debemus. Præterea hoc in loco noſter Argus miſere rurſus deceptus fuit non à Mercurio, ſed à Rutilio,

lio, & vulgatis indicibus, cumque ſibi πανόπτης videretur, cæcior talpa fuit. Etenim præter epitomarum libros, Hermogenianus plurima de *Fideicommiſſis* ſcripſit, ut notum eſt ex inſcriptione *l.* 14. *ff. ad SC. Trebell.* quidquid Cujacius *lib.* 2. *obſ.* 27. contradicat. Et quamvis hi fœdi, & putidi ſint errores, gravius tamen noſter cenſor in Alfenum Varum deliquit, cujus ne quidem, ceu hominis ignobilis, meminit, cum tamen non tantum ex Rutilio, ſed etiam ex vulgatis indicibus certo certius ſit, illum plurimos *digeſtorum* libros reliquiſſe: ex quibus *l.* 50. *ff. de recept. qui arb. l.* 29. 30. 31. *ff. locat. l.* 76. *ff. de jud. l.* 17. *ff. ſi ſerv. vind.* & infinitæ aliæ collectæ ſunt. Et hæc ſocordia, vel eo ſolo major eſt, quod hic Juriſconſultus nemini non innotuerit ex Horatii *Sa-*

tyr. 3. *lib.* 1. Etenim facile huic novitio Juriſconſulto condonare poſſum, quod ipſum fugerit Alfenum præterea *epitomen* ſcripſiſſe, ut patet ex inſcriptione *l. eum qui*, 3. *ff. de int. & rel.* Nam hujus tractatus nec Rutilius, nec indices, nec Gellius 6. *noct. Att.* 5. meminere. Nec minorem injuriam Claudio Saturnino, & Ælio Gallo JCtis fecit, eos obliviſcendo; meliuſque ſibi conſuluiſſet novus Salmoneus, ſi ſeipſum tacuiſſet, nec ineptiſſimis ſuis ſcriptis prodidiſſet, eoſque exhibuiſſet Juriſconſultos, quorum vel in uno reſponſo, plus ingenii & doctrinæ elucet, quam in omnibus illis, quæ unquam ſcripſit, vel, ſi ulterius velit inſanire, unquam ſcribet. Nec magno molimine ad hujus rei probationem opus eſt; ad duas ſolum leges provocabo, nempe *l.* 16. *ff. de pœn.* quæ eſt

Clau-

Claudii Saturnini, & *l. paries*, 157. *de V. S.* quæ eſt Ælii Galli, cujus etiam Haloander in indice ſuo mentionem fecit.

Quorum omnium fragmenta tantum quædam ſuperſunt pauca.] Male dixit *omnium*. Nam qui *omne* dicit, nihil excludit, *l. 7. ff. de trit. vin. ol. leg.* & tamen in manibus omnium integri *quinque receptarum ſententiarum libri*, quos Paulus ad filium ſcripſit, verſantur. Ut nihil jam dicam de Caji & Ulpiani inſtitutionibus.

In quorum ingentes immanes, & inſanos juris Scholaſtici Commentarios, juxta alios, jure meritoque invehimur.] Poſt tam miſere enarrata Juriſconſultorum ſcripta, & tot errores commiſſos, ut numerari non poſſint, auctor pergit diſſerere de ſui operis inſtituto; ſed nihilo felicius. Et hoc in loco more ſuo intelligi noluit; profite-

tur enim ſe invehi, juxta alios, in Commentariorum (de illis enim, non de eorum auctoribus, in verbis proxime præcedentibus locutus erat) ingentes, immanes & inſanos Juris Scholaſtici Commentarios.

Deque accumulata ſupra modum librorum & ſcribentium multitudine, conquerimur ipſi.] Hic porro de librorum & ſcribentium multitudine noſter cenſor conqueritur. Sed quis tulerit Gracchos de ſeditione quærentes? Nunquam enim ejuſmodi querelæ juſtiores fuêre, quam poſtquam hic homo, ſibi ſaperda viſus, ſub inſcriptionibus & titulis magnificentiſſimis, ineptiſſima quæque, & undique corraſa prodere auſus fuit. Nunquam pejus actum, vel agi potuit cum literarum & juriſprudentiæ ſtudio, quam hoc homine in ſcenam prodeunte. Nun-

quam

quam denique quis juſtius pœna calumniatoris puniri potuit, quam qui ingratiſſimo animo, imo maximis mendaciis, non ſolum vellicare, ſed etiam lacerare & diſcerpere conatus eſt famam & exiſtimationem tot, tantorumque virorum, quorum nomina conſecrata ſunt æternitati; & quibus nulla unquam major & gravior injuria fieri potuit, quam quod à tali homine nominentur. Scribat Goveanus 2. *var. lect.* 23. Bartolum peſſimum juris eſſe magiſtrum, mihi major hic Alciatus erit, qui Bartolo primas deferendas eſſe, tradit. Et utcunque Goveano, Cujacio, Duareno, & ejuſmodi principibus viris tale judicium concedamus, hoc idem Manios aliquos, & terræ filios, & vix domi notos ſcribere, & evomere quis feret? Quis leget apud juvenem parvi ſatis judicii,

doctri-

doctrinæ valde exiguæ, & in Academia & in foro inexercitatiſſimum, nullum, uno Cujacio excepto, hactenus extitiſſe juris interpretem, qui ſua interpretatione textibus juris non manifeſtam vim intulerit, & ex cujus ſcriptis recta juris, legumque interpretatio peti poſſit, cui non ſtomachus movebitur? Cum & ipſe Bachovius in *epiſt.* præfixa ſuis ad *Fabr. exercitat.* dicat, nunquam eos (de veteribus interpretibus loquitur) quicquam ſtatuiſſe, quod rationem juris naturæ, aut gentium offendat, imo omnia ad artem juris & æqui eos tractaſſe & diſputaſſe. Quis audiet, de jure vere judicari non poſſe, niſi penitius leges inſpiciantur, quam ex veteribus doctoribus quiſquam eas inſpexit, qui non maximum tollet cachinnum, majoremque fidem habebit Bachovio,

vio, dicto loco tradenti, ſuperiorum temporum interpretes magno ingenio jura tractaſſe, & vix eſſe quidquam, quod eorum fugit accurationem & diligentiam; & ſi abſque horum commentariis eſſet, ſæpe non habituros recentiores, ex quo caput unctius referrent? Cui denique narrabitur, hodie ad iſtud felicitatis faſtigium perveniſſe mortales, ut extiterit juvenis *quidam*, qui ſolus & unus præſtare poſſit, quod ante ipſum nemo; & ſupplere queat omnia ea, quæ Bartolum, Baldum, Albericum de Roſate, Jaſonem, Caſtrenſem, Salicetum, omneſque alios interpretum coryphæos defecere, qui non altiſſima voce clamabit

Nil mortalibus arduum eſt!
Cœlum ipſum petitur ſtultitia!

Et quamvis nihil detractum velim Goveano, viro in omne ævum memo-

memorabili, & cui ex omnibus quotquot ſunt aut fuere, Juſtinianei juris interpretibus, palmam deferendam eſſe tradat ipſe Cujac. in *not. ad Ulp. tit.* 6. tamen illud aſſeverare auſim, Bartolum ſuis commentariis decuplo plus utilitatis contuliſſe ſocietati humanæ, quam Goveanum ſcriptis ſuis. Neque quiſquam autumet, me hic Cujacio contradicere, & ipſius judicio, meum anteponere velle; talem arrogantiam in noſtro cenſore quis deprehendat: de doctrina & eruditione Bartoli & Goveani integrum & illæſum maneat Cujacii judicium, de utilitate, quam ex utriuſq; ſcriptis mortales percepere, ſolum judicavi; meumque judicium, niſi fallor, omnium temporum experientia confirmabit. Ad hæc ſuſpecta mihi ſemper ejuſmodi, etiam doctiſſimorum virorum judicia fuere, magiſque

giſque pro affectu aut odio, quam ſecundum veritatem & ſinceritatem prolata videntur. Neque enim unquam dubitabo, magnum illum virum affectibus ſuis indulſiſſe, cum in ſuo *Papiniano, ad l. juſto 44. §. nondum. 3. ff. de uſucap.* hæc de Æmilio Ferretto ſcriberet. *Is homo in contemnendis & reprehendendis doctoribus, ponit faſtus multum, in tradenda veritate ſtudii nihil, & ob eam rem ejus ſcripta, planè ſunt juris ſtudioſis inutilia.* Et quid ſi Cujacium ducam ad Goveanum, quem tanti facit? Is ita in *tract. de jur. accreſc. num.* 32. loquitur. *Operam tamen annos ferme tres Lugduni dedi Æmilio Ferretto parenti alteri meo, Jureconſultorum memoriæ noſtræ facile principi.*

Neque de jure, niſi penitius, quam eorum aliquis inſpiciendo vere judicari poſſit.] O ſtolidum caput!

Uno

Uno Cujacio excepto.] Crediſne eum de Cujacio recte judicare poſſe, quem Cujacium non legiſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod ignoret totos libros à Juriſconſultis ſcriptos, ad quos Cujacium commentatum eſſe, ſupra dictum eſt.

Vix aliquem reperias, unde recta juris legumque interpretatio peti poſſit.] Furioſum crede.

Non dico commentatores.] Quæ ſequuntur uſque ad finem paginæ, noſter cenſor exſcripſit ex epiſtola, quam Cujacius Gregorio Lomellino ſcripſit, & quæ ejus paratitlis ad pandectas, præfixa eſt. Sed utinam verbo tenus eum ſecutus fuiſſet; & non ſcripſiſſet, *verboſitas eorum interpretationum.*

Angelus quidem Politianus multa ejus generis compilaverat.] Egregie hic Angelum Politianum laudat, dum ſcribit eum multa compilaſſe,

ſe, nunquam illud verbum *compilaſſe* in bonam accipi partem, ignorans.

Qui, ut ne fraus eorum fiat aperta, ſua addendo delendoque intermiſcere.] Nec hæc intelligi poſſunt, ſi non legatur, *intermiſcuere.*

Majorem gloſſarum partem decerpſiſſe.] Condonare poſſum noſtro cenſori, quod ignoret quid ſignificet *gloſſa*, vel *gloſſema*. Nam hoc omnes juris interpretes, quos ego vidi, neque Cujacium excipio, & literatorum etiam principes neſcivere. Illi enim omnes crediderunt, *gloſſas* eſſe interpretationes eorum, quæ difficilia videbantur. Et hinc corpus *gloſſatum* dictum, quod legum interpretationes continet. Sed omnia malè, & contra uſum Latinæ linguæ. Nam *gloſſæ* ſive *gloſſemata*, non ſunt interpretationes, ſed verba exquiſita, neque vulgo nota,

ta, aut etiam vetuſta, quæ interpretem deſiderant. Hinc *gloſſarium*, apud antiquos dicebatur lexicon, in quo gloſſæ exponebantur. Hinc *gloſſographi* dicti, qui gloſſas interpretabantur. Sic Varro *lib. 6. de ling. lat. Quod addit templa ut ſint dextra; ajunt ſancta eſſe, qui gloſſas ſcripſerunt.* id eſt, qui voces minus uſitatas ſcripſerunt. Et apertius his verbis, *In Medo Ennius, Cælitum Camilla expectata advenis, ſalve hoſpita. Camilla: qui gloſſemata interpretati, dixerunt adminiſtram.* Qui *gloſſemata* interpretati ſunt, hoc eſt, qui voces priſcas, & minus uſitatas ſunt interpretati. Et vel ex hoc uno loco patet errare eos, qui ſcribunt, *gloſſemata*, interpretationes gloſſarum eſſe. Nec alio ſenſu Suetonius hoc verbo *cap.* 22. *de illuſtr. Grammat.* uſus eſt in verſu.

Qui

Qui caput ad lævam deïcit, gloſſemata vobis
Præcipit.

quemadmodum ad illum locum A. Statius notavit. Eodem modo Quintil. *orat. lib.* 1. *cap.* 1. *Protinus enim poteſt interpretationem linguæ ſecretioris, quas Græci γλώσσας, vocant, dum aliud agitur, ediſcere.* Quem locum vulgo ſic interpretantur, ut *gloſſæ* dicantur, interpretationes linguæ ſecretioris. Sed malè; neque enim hæc interpretatio Quintiliani ſententiæ conveniens eſt; & relativum *quas* non ad interpretationem, ſed ad linguam ſecretiorem referendum eſt; quod ex alio loco ejuſdem, auctoris *d. lib. cap.* 8. manifeſtum eſt. *Circa gloſſemata etiam,* inquit, *id eſt voces minus uſitatas, non ultima ejus profeſſionis diligentia eſt.* Quo in loco ipſæ voces minus uſitatæ, *gloſſemata* dicuntur,

tur, non earum vocum interpretationes.

Elbertus Leoninus Geldriæ Cancellarius in ſuis emendationum liberis.] Diſcat à me noſter cenſor *libris* ſcribendum fuiſſe, non *liberis*. Deinde mirari lubet judicium hominis. Nam quamvis nihil detractum velim gloriæ & exiſtimationi doctorum à cenſore narratorum, tamen neminem tam bardum futurum ſpero, ut doctores illos, Cujacium excipio, Bartolo, Baldo, Alberico, Caſtrenſi, Jaſoni, Saliceto, Zaſio, Alciato præferendos putet, credatque plus illos contuliſſe ad veram juris interpretationem & ſcientiam, quam vel minimus ex his præſtitit. Et cum tantopere noſter cenſor conjunctionem praxis cum theoria commendet, non poſſum non ridere ejus ingenium, quoniam certiſſimum eſt,

vel

vel unius Bartoli, vel Baldi auctoritatem pluris æſtimari in foro & tribunalibus, quam omnium doctorum, quos cenſor enumeravit, ne quidem Cujacio excepto.

Qui omnium legum κατὰ πόδα *interpretationem profitetur.*] Certè non magis Cujacius omnes leges interpretatus eſt, quam Bartolus; & infinitæ ab utroque intactæ relictæ ſunt. Et quamvis noſtro cenſori, ut videatur Græce ſcire, valde placeat illud κατὰ πόδα, tamen quæ ſunt κατὰ πόδα interpretationes, non bene intellexit. Et cum ſint breviſſimæ & aptiſſimæ expoſitiones, nec pluribus multo verbis, quam ipſæ leges, ſcriptæ, non magis iſte honos denegandus eſt Bartolo, Baldo, Jaſoni, Caſtrenſi, Alberico, quam Cujacio.

Hæc cum non explerent.] Quæ hic

hic ſequuntur, noſter cenſor habet ex Cujacio. Sed & in illis exſcribendis, quod ſummam illius ſocordiam oſtendit, ſæpius erravit. Primum enim malè ſcripſit *quæſivere ſibi libros*, pro *liberos*. Sed non videtur noſter cenſor magnam inter *liberos* & *libros* agnoſcere differentiam, creditque tam facile aliquem *libros*, quam *liberos* exhibere poſſe. Deinde malè & imperitè ſcripſit *alios docendo*, pro, *alius docendo*, deceptus à regula, *verba tranſitiva regunt accuſativum patientem*. Male etiam dixit, *qua explicatione*, pro, *quæve explicatione*, & *alius jure una parte ſapere*, pro, *juris una parte*, & verbum *oſtendere*, quod noſter cenſor, Cujacium non percipiens, appoſuit, mentem Cujacii evertit. Sic etiam contra mentem Cujacii ſcripſit *frequentius*, pro, *frequentibus*.

Quod

Quod & paulo poſt adverſus vivæ vocis legum Interpretes.] Certe, cum Cujacium non recte exſcribere potuerit, facile illi ignoſcere poſſum, quod de ſuo aliquid addere volens, contra ſyntaxin ſcripſerit, *adverſus vivæ vocis legum interpretes*, pro, *viva voce legum interpretes*. Aut an credit noſter cenſor, profeſſores eſſe interpretes vivarum vocum?

Quæ utinam non ita bene quadrarent in noſtros jam nunc Juriſconſultos.] Quamvis, quæ ſequuntur, noſter cenſor habeat ex præfatione Fabri *de error. pragmat.* tamen ex iis certiſſimum eſt, quod ſe ipſum non intellexerit, cum iſta ſcriberet. Nam cum praxin deſcribat, veram juris ad ſua ſubjecta (malè autem addidit *quæque*, nam cuique dicere debuit) applicationem, (quam deſcriptionem tolerare poſſum, latius, & præ-

ter communem loquendi uſum, ſumpto praxis vocabulo) quis mortalium tam effrons hactenus inventus eſt, qui Bartolo, Baldo, aliiſque antiquis juris interpretibus exprobrare fuerit auſus, illos leges ad ſubjectum ſuum applicare non potuiſſe? Cum tamen infinitæ ab iis quæſtiones, & difficultates frequentius occurrentes decidantur, & reſolvantur, eoque nomine, ad hanc uſque tempeſtatem ab omnibus, quibus helleboro opus non eſt, præ cæteris interpretibus, laudati fuerint. Quis Duareno, Donello, atque ipſi etiam Cujacio, objectum feret, quod leges ad ſubjecta ſua applicare non potuerint? cum certiſſimum ſit, neminem legem intelligere, nedum interpretari poſſe, qui eam ad ſubjectum accommodare non queat. Sed noſter cenſor, miſerabilis

rabilis potius quam mirabilis, niſi quod admiranda impudentia illum mirabilem & inſignem faciat, ignoravit differentiam eſſe, inter legis, ad caſum de quo agit, applicationem, & legis uſum, pro more cujuſque regionis, quotidianum. Quem ego propriè, & ſecundum communem, & receptum loquendi uſum, *praxin* voco. Concedam non invitus, legis cujuſque ſententiam accurate examinandam eſſe, magiſque inſpiciendum, quid voluerit, qui eam juſſit, quam quid dixerit: quod etiam ab omnibus exigunt Imperatores in *l.* 8. *C. de judic.* in hunc modum reſcribendo, *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ, æquitatiſque quam ſtricti juris rationem.* Ad hæc largiar ultro, peſſimè eos facere, qui conſulendo, adſidendo, judicando præciſe jus Romanum, & non quod

recta, & inveterata, conſuetudine receptum eſt, ſequi volunt; & ejuſmodi cauſarum patronis, aſſeſſoribus & judicibus juſtiſſima ratione exprobrari poſſe puto, quod olim Servio à Quinto Mutio objectum ferunt, turpe eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus, in quo verſaretur, ignorare; ſimileſque eos eſſe magnis iſtis declamatoribus apud Petronium, qui cum in forum veniſſent, putabant ſe in alium terrarum orbem delatos. Et hoc voluit, & in eo totus eſt Ant. Faber in *d. epiſt. ſive præfat.* quem noſter cenſor ſatis accuratè exſcripſit. Cæterum qui hac via Doctores & Profeſſores in ſcholis & Academiis incedere volunt, eoſque male theoriam, neglecta praxi docere contendunt, cum nec loca, nec tempora diſtinguere poſſint, ignorentque civili ſapientiæ ſuam eſſe

quaſi

quaſi infantiam, adoleſcentiam, robuſtamque maturitatem,ad Anticyras mittendi ſunt, ut pientur, ſi modo illæ tantæ inſaniæ curandæ ſufficere poſſint.

Ut quaſi conferat, illam omnino negligant, hanc unam ſectentur, totumque illud quod in Scholis addidicerant, dediſcere ſe debere, & potius ad imaginariam, & cuique ſibi fictam, quaſi naturalem rationem, & æquitatem, ex quibus omnia ſatis facile judicari poſſe putant, confugiendum ſtatuunt.] Et hic turpiſſimus contra ſyntaxin error occurrit. Et omnino legendum eſt, *ſtatuant*, idque non ſolum propter conjunctionem *ut*, quæ ſubjunctivum poſtulat, ſed ut hoc verbum reſpondeat ſubjunctivis *negligant, ſectentur*.

Quod qui commentando ſervaverint, præter unos Johannem del Caſtillo &c.] Fatetur hoc loco cen-

 ſor,

ſor, ſe ignorare doctores quoſdam commentando praxin & theoriam ſimul docuiſſe, præter Johannem del Caſtillo, Ant. Fabrum, Chriſtinæum & Carpzovium. Non miror. Sed ſi plures ſcire velit, adeat Schneidewinum, Sichardum, Maynardum, Carocium, Antonium de Amatis, Baronem, Gailium, Weſenbecium, Molinæum, Mynſingerum, Vaſquium, Gomezium, Mornacium, Clarum, Johannem à Sande, Vinnium, Ant. Matthæum filium, Cyprianum ab Ooſtergae, alioſque infinitos, quibus idem honos (ſi non major illis debetur) niſi ſumma cum injuria denegari non poteſt. Quid quod iſti quatuor doctores nullum juris locum, niſi urgente occaſione, & ut ita dicam, in tranſitu, interpretati ſunt. Et ipſe Faber ubi occupatus eſt in jure civili explanando,

quem-

quemadmodum in rationalibus, juriſprudentia Papinianæa, & conjecturis, vix praxis mentionem facit. Ut moneam pro *plures meam, fateor, effugere notitiam*, omnino ſcribendum fuiſſe, *meam*, (omiſſo verbo *plures*, quod ſenſum turbat) *fateor, effugiunt*, aut, *effugêre notitiam.* ut reſpiciatur illud prius, *qui commentando ſervaverint.*

Adeoque quod non ratione introductum, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet, neque vim juris habere poteſt, l. 39. ff. de legib.] Si cenſor ultima verba, *neque vim juris habere poteſt*, generaliter intellexit, graviter erravit, mentemque Juriſconſulti in *d. l.* 39. non fuit aſſecutus. Nihil etenim aliud in *d. l.* Juriſconſultus docere voluit, quam quod ea, quæ ſingulari jure, & præſertim contra ratio-

nem juris recepta ſunt, ad conſequentias non ſint producenda, & quod ab iis, ad deciſionem ſimilium caſuum, argumentari non liceat. Quod etiam docet *l.* 14. *eod.* nec abludit *l.* 15. *eod. tit.* *Quod in his quæ contra rationem juris recepta ſunt, non poſſimus ſequi regulam juris.* Cæterum illa vim juris non habere in caſibus quibus recepta ſunt, verum non eſt.

Et cuncta ſuo periodo determinat.] Optime *ſuo* pro *ſua periodo.* Sed deceptus eſt cenſor à regula Grammaticorum, *in us ſecundæ declinationis, maſculina ſunt.*

Ut quod nihil prius, nihil antiquius in omni re, quam quod quiſque ſibi proprium jus conſtituit.] Aut ſomniavit cenſor cum hæc ſcriberet, aut ego, dummodo intelligi poſſunt, cum hæc legerem; fateor enim me hæc intelligere non poſſe.

Quod tamen cum ipſo Jure Civili

ita

ita conferendum, ut in nullo extra expreſſam cáuſam, abrogatum, mutatumve ſtatuere nefas ſit.] An ergo illud non eſt jus civile, quod quiſque populus ſibi proprium jus conſtituit? Sed per jus civile fortaſſis intellexit jus Romanum. Apage tantam obſcuritatem. Ut taceam cenſorem inepte ſcripſiſſe *in nullo*, pro *in ullo*.

Eaque ejus interpretatio ſumenda, quo id quam minimè lædatur. Barbarum eſt, *interpretatio quo*, pro *qua*. Niſi velit, eſſe conjunctionem.

Hæc qui methodice ſimul congeſſit, hactenus extat nemo.] Bis hoc in loco cenſor erravit, debuerunt enim hæc duo verba addi *præter me*, & pro *extat*, ſcribi *extitit*.

Introductionem quidem ejus quoad Batavos &c.] Barbarum eſt *quoad* pro *quod ad*.

E quibus de Saxoniæ Germaniæ-

que moribus Carpzovii ſcriptis, plurimum præ cæteris autoritatis datur, ut quod ea ex judicialibus Archivis totius Germaniæ &c. collecta & tranſcripta noverim.] Melius agere cum Carpzovio fata non potuerunt, quam quod noſtrum cenſorem certiorem reddiderint, illius ſcripta ex judicialibus archivis &c. eſſe tranſcripta. Ex hoc enim ſolo factum eſt, quod illis plurimum, præ cæteris, auctoritatis detur, quod non meruiſſent, ſi noſter cenſor hoc ignoraſſet. Præterquam quod ineptè ſcripſerit, *ut quod ea ex*, pro *ut quæ ex*.

Sed quæcunque ejus generis extant, aliis permixta; planeque confuſa, nulloque ſcribendi ordine, nec methodo ſervatis, ſunt conſcripta, neque rectam docendi, diſcendique formam habent ullam.] In his ſolis non tantum ſummam hominis impudentiam, ſed & ridendam imperi-

peritiam deprehendere quivis poteſt. Quis enim mortalium, ad hanc uſque tempeſtatem, ad tantam impudentiam pervenit ut ſcribere fuerit auſus, illa quæ hactenus tam theorice quam practice ſcripta ſunt, nec ordinem nec methodum habere, præter unum noſtrum cenſorem? Quis mortalium tam imperitus, tam bardus fuit, ut putaverit, alicujus ſcripta formam diſcendi poſſe habere? Certe non poſſum majori munere beare cenſorem, quam ſi ei bonam methodum, & formam diſcendi optem.

Quæ me res impulit, ex quo ſuo merito æſtimare Juriſprudentiam cœpi, aliquid ſupra, & præter quam alii feciſſent, præclare cogitare, quamvis ingenium, judicium, ſcientia, uſus, atque experientia in multis, aut deeſſent, aut deficerent. Ha, ha, he. Et tamen nihil verius ab eo

dici potuiſſet, ſi verbum *præclare* omiſiſſet, & pro *multis*, ſcripſiſſet *omnibus*. Quicquid enim ille cogitat, alius nec poſſet, nec vellet cogitare. Imò paſſim, & ubique ita miſerum hominem judicium defecit, ut ſæpius dubitaverim, an mentis ſuæ ſit compos. Exemplo ſint hæc, quæ adducam ex *cap.* 1. *lib.* 1. & ex *cap.* 28. *lib.* 5. in quæ caſu incidi. In *d. cap.* 1. *num.* 3. improbat diviſionem juris in naturale, gentium, & civile, contenditque nullum in brutis reperiri jus, quia hujus præcipuus effectus in ipſius arte & ratione conſiſtit, eſt enim ars boni & æqui, *l.* 1. *ff. de juſt. & jur.* Quo ſi quid poteſt excogitari ſtultius, homo non ſim. Nam conceſſo, quod nullum jus in beſtiis reperiatur, an illud jus, quod in diviſione juris à Polybio, Lactantio, Cicerone, Grotio conſideratur, eſt ars boni

boni & æqui? imo illud jus eſt ipſum bonum & æquum; & inde neceſſario ſequitur, quod illud jus non magis poſſit eſſe ars boni & æqui, quam ars ſui ipſius; & Celſus in deſcriptione per *jus*, ipſam juris ſcientiam, ſive juris diſciplinam intellexit. Deinde in *fine ejuſdem num.* dicit, nullum eſſe jus naturale proprie dictum, quod etiam latius probare conatur in *faſcic. emend.* & tamen *num.* 5. hæc reperiuntur. *Aliud jus eſt naturale, aliud gentium, aliud civile.* Quis credet hæc fieri poſſe ab homine, vel ex parte ſano. Præterea *d. cap. num.* 16. tradit reſponſa prudentium vim legis obtinere, contra notiſſima principia juris; ut jam nihil de prætorum edictis, vel SCtis dicam. Quod autem *d. cap.* 28. *lib.* 5. attinet, ejus principium tale eſt. *Adverſus propriam, honeſtatem cum publica læ-*

ſione

ſione & ſcandalo committitur per inceſtum. Qui, ſi diis placet, elegans eſt loquendi modus. Deinde *num.* 1. ita ſcripſit. *In ſpecie tamen ſumitur pro graviori eo* (loquitur de inceſtu) *qui inter aſcendentes & deſcendentes intercedit, aut inter primi gradus collaterales, veluti inter fratres & ſorores tantum jure civili inceſtuoſam eſſe.* imò *num.* 4. *verſ. ſed horum*, contendit, ne conjunctionem quidem inter aſcendentes & deſcendentes, rationi naturali repugnare, ſuavi, me hercle, argumento, *quia*, inquit, *nihil magis naturale eſt, quam diligere id, quod ex proprio ſanguine promanavit:* quo argumento etiam Myrrha ſibi blandiebatur apud Ovid. l. x. Metam. hunc in modum diſſerens,

——gentes tamen eſſe feruntur
In quibus & nato genitrix, & nata parenti

Jun-

Jungitur : ut pietas geminato creſcat amore.

An hæc non eſt elegans ratiocinatio? & an non melius ſibi cenſor conſuluiſſet, ſi hac Ovidii ex eodem loco accurate examinaſſet,

——ſcelus eſt odiſſe parentem,
Hic amor eſt odio majus ſcelus.

antequam talia evomeret? ut prætercam, quod *d. num.* 1. collaterales primi gradus agnoſcat, qui jure civili eſſe non poſſunt, & alios putidiſſimos errores *d. verſ. ſed horum*, commiſſos, ex quibus tamen aliquos referre placuit. Dicit inter cætera. *Et nec Primitivæ gentes differentiam illam agnoverunt, quibus ex adverſo pro lege impoſitum erat, ne extra familiam & tribum paternam, conſanguineo quiſque ſuo conjungeretur, adeoque ſi fratrum contubernalium alter mortuus eſſet ſine liberis, defuncti uxor alieno ne nubat, levir*

levir cum ea coëat, eamque in matrimonium leviri Jure ducat, ipſa lex Moyſes præcipit. Ubi primum notanda eſt manifeſta contradictio in verbis, *Ne extra familiam, & tribum paternam, conſanguineo quiſque ſuo conjungeretur.* Nam ſi extra familiam, & tribum paternam coire non potuerunt, neceſſario jungendi fuerunt conſanguinei. Deinde verbis *conſanguineo quiſque ſuo conjungeretur*, nuptias ejuſdem ſexus noſter cenſor permittit. Ad hæc falſiſſimum eſt virgines Hebræas extra tribum paternam nuptiis non potuiſſe jungi; ſolum enim hoc obtinuit in illis, quæ alicujus poſſeſſionis heredes erant, ne illa, occaſione nuptiarum extra tribum initarum, à tribu in tribum averteretur, *Num.* 36, 7. *&* 8. Imò utcunque hoc verum eſſet, perperam tamen ex eo infert viduam leviro de-

debuiſſe jungi, levir enim conſanguineus non eſt, ſed affinis. Et longe aliam ob cauſam hoc præceptum Deus Opt. Max. dedit; nempe ut ſuperſtes frater defuncti fratris ſemen ſuſcitaret, ne deleretur defuncti nomen ex Iſraële, *Deut.* 25, 6. quamvis etiam in eo noſter Theologus erret, quod tradat illam legem Dei, ſolum inter fratres cohabitantes locum habuiſſe, ex male intellecto *verſ.* 5. *d. cap.* 25. Nam ibi fratres habitantes dicuntur, qui hereditatem communem in familia paterna habent Jun. & Tremell. ad *d. loc.* Neque veroſimile eſt, illos ſeptem fratres, de quibus Sadducæi Servatorem noſtrum conſuluêre, *Matth.* 22. *verſ.* 25. cohabitaſſe. Præterea auctor eſſem noſtro cenſori ut in poſterum ſcriberet *Lex Moyſis*, vel *Moyſi*, pro *Lex Moyſes*. Sed plus re

tibi

tibi ſolvo, mi Philonome. Nam cum tantum promiſerim me examinaturum epiſtolam & prolegomena cenſoris, ulterius divagatus ſum. Reverti igitur ad inſtitutum placet.

Idque quod antea, de jure patrio, vernacule in quodam ſpecimine conatus fui, &c.] Hoc loco dixit, ſe, cum antea de jure patrio, vernacule tantum diſſeruiſſet (loquitur de ſuis *Paratitulis*) nunc auſum eſſe Latia, & communi quaſi omnium gentium lingua, ipſum jus certum, cum uſu practico conferre, & talia ibi ſpondet, quorum ne milleſimam quidem partem promiſit, vel promittet unquam. An interim non melius dixiſſet, ſe barbaro ſermone ſcribere voluiſſe, ex hiſce quæ audivimus, & ſequentur, tu judica.

Et hoc opus quanquam omne veræ Juriſprudentiæ ſtudium reſtituere

in

in integrum non poſſit , juvare ſaltem , alioſque magis idoneos ad id genus ſtudii excitare poſſit , eaque præterea fretus fiducia , bonos non ægre benefaciendi propoſitum laturos, maloſque indignos eſſe , cui etiam hoc opus qualecunque demum ſit , ſcribatur.] Quomodo puer in ludo gravius poſſet errare , quam hic homo vel unico hoc loco erravit , ſcribendo, bonos non ægrè laturos , maloſque indignos eſſe *cui* pro *quibus* hoc opus ſcribatur. Præterquam quod nullus horum verborum ſit ſenſus , niſi addatur verbum aliquod *ſpero*, vel *confido* , vel *credo*.

Eam in his ſcribendis adhibui artem & methodum , ut in unoquoque Juriſprudentiæ tractando argumento, poſt juſtam rationis & veritatis cenſuram , ipſum Jus Romanum , ut certum , pro fundamento poſuerim.] Si cenſor jus Romanum , ut certum, pro

pro fundamento ſuarum diſputationum poſuit, cur eos reprehendat, qui diſcipulis ſuis jus certum eſſe ſimpliciter, & nullis adhibitis rationibus, per quas illud certum eſſe probent, perſuadent, non capio. Nam ſi nullum jus eſſe poteſt, quod non ſit certum atque finitum, *l. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* quid opus eſt magno conatu, magnas nugas agere, & probare jus certum eſſe? Fortaſſis dicet novitius Juriſconſultus, ipſum jus quidem certum eſſe, ſed ſæpius mentem legis dubiam & incertam eſſe. Verum jam ſcire deſidero, an non totum jus Romanum pro fundamento ſuarum diſputationum poſuerit, & ſi non, quam ejus partem. Si totum, illud certum eſſe fateatur, neceſſe eſt; quoniam dicit ſe certum jus pro fundamento poſuiſſe; & ſi certum eſt, quorſum vult

magno

magno molimine docere illud tale eſſe? Cum inter doctrinam, qua docetur jus certum eſſe, & eam quæ docet quid juris ſit, magna ſit differentia. Quod ſi partem juris pro certo jure agnoſcit, & quidem illud jus, de cujus ſententia dubitatum non fuit (quod fere videtur voluiſſe pag. præcedenti, ubi dixit ſe jus certum cum uſu practico conferre) quid ſibi vult titulus *Totius juris civilis Romani, uſuque recepti, & practici methodica collatio?*

Quo pertinet præſcriptum Imperatoris, in proœm. Inſtit. §. 3. ubi ſedulo monet, ne ab antiquis fabulis Legum Inſtitutiones ediſcantur, & tam aures, quam animi ſtudioſorum, nihil inutile, nihilque perperam poſitum, accipiant.] Hæc verba Latine intelligentibus nihil aliud ſignificare poſſunt, quam Juſtinianum voluiſſe, ut tam aures quam animi ſtu-

ſtudioſorum, multa inutilia atque perperam poſita acciperent. Iſtud enim dicimus tali loquendi modo. *Ne tam aures, quam animi ſtudioſorum nihil inutile, nihilque perperam poſitum accipiant.* Et hoc tamen à mente Juſtiniani plane alienum eſt. Neque ſe poterit excuſare dicendo particulam *ne* tantum ad primum membrum ejus præcepti pertinere, finirique illud membrum cum verbo *ediſcantur*. Cum tunc ſecundum membrum à conjunctione adverſativa, non copulativa inchoare debuiſſet.

Erubeſcimus ſine lege loqui, & nihil eſt, ne conſuetudo quidem, quæ vincat rationem, aut legem.] Primum turpiter dixit, *quæ vincat*, pro *quod vincat*. Nam illa particula *quod*, præcedenti voci *nihil* reſpondere debet. Deinde cum non percepiſſet mentem Conſtantini in *l.* 2. *C. quæ ſit long. conſ.*

tradit

tradit conſuetudinis eam non eſſe efficaciam, ut legem vincere poſſit; quo certe nihil tradi poteſt aut abſurdius, aut à natura juris & legis magis alienum. Nam ſi omne jus poſterius, vincit prius, *l. ult. ff. de conſt. princ.* & conſuetudo non tantum legem imitatur, § 9. *Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* ſed æque jus facit ac lex, *l. pen. ff. de legib.* imò ſi nihil intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis, *l.* 32. §. 1. *eod.* neceſſum eſt, ut conſuetudo legem vincere, eamque tollere poſſit, quod etiam manifeſte dicitur in *d. l.* 32. *in fin.* §. *pen. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Imò, ut craſſius philoſopher, cum certum ſit, jus civile Romanum, ob ſummam ejus æquitatem, apud Belgas paſſim receptum fuiſſe, legumque vim atque auctoritatem meruiſſe, non minus,

minus, quam ſi ab eorum principibus ſcriptum fuiſſet, teſtibus Grotio *lib.* 1. *manud. ad juriſpr. Bat. cap.* 2. *num.* 26. Merul. *prax. civ. lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. *num.* 6. Goris *adverſ. tract.* 4. *de diff. jur.* §. 1. Chriſtin. *vol.* 1. *dec.* 343. Buſ. *ad l.* 6. *ff. de juſt. & jur.* adeo ut etiam curiarum ſenatores in leges Romanas jurare cogantur, Merul. *prax. civ. lib.* 4. *tit.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. & illud cenſor noſter, ſecutus Arthurum Duck, apertiſſime fateatur, qui fieri potuit, ut toties receptis conſuetudinibus à Romano jure receſſerimus, opuſque fuerit noſtri Juriſconſulti (*Cenſura forenſi*, ſi conſuetudo legem vincere & tollere non poteſt? Sed ignoravit cenſor Conſtantinum in *d. l.* 2. ad ſua tempora reſpexiſſe, quibus jus ſuffragii, & poteſtatem legem jubendi populus non habebat; adeo ut non magis con-

ſuetu-

ſuetudine, quam expreſſa ſanctione, legi principis derogare, nedum abrogare potuerit.

Qui ipſam certitudinem, & quatenus eam ratione aut lege probet.] Hæc fortaſſis eſt ſententia, nec Phœbi cortina nec Sphynge indigna; ſed ego Davus, non Oedipus capere non poſſum, quid ſit, *ipſam certitudinem & quatenus eam ratione & lege probare.*

Scire eſt enim per cauſas cognoſcere, &c.] Naticidium merebatur noſter cenſor cum hæc applicaret ad Juris ſcientiam; quoniam certum eſt omnia jura à ſola Principis, id eſt, legem jubentis voluntate, & poteſtate pendere.

Quorum tamen opinio licet communis & recepta, ut vulgo dici ſolet, & per aliquot ſecula ſteterit, in multis aperte falſa quotidie apparet, in quibus non ſtetiſſet, niſi ex

auctoritate primi ſcribentis &c.] Vel ſemitarium, aut quemvis de trivio literatorem, hujuſmodi ſermonis pudere debeat. Iſtud enim loquendi genus, *quorum opinio per aliquot ſecula ſtetit, in quibus non ſtetiſſet niſi auctoritate &c.* non homine Romano, literis exculto, ſed aliquo hodiernæ fæcis Italicæ foſſore, aut bajulo dignum eſt. Præterea ineptum eſt totum, quod hic dicitur. Etenim ſi illa opinio, de qua hoc in loco ſermo eſt, communis eſt, & recepta, & per aliquot ſecula ſtetit, quomodo illa hodie in multis poteſt falſa apparere, cum per rerum naturam fieri non poſſit, ut illa non ſit conſuetudo, quæ nomen juris non minus meretur, quam ulla lex. Et ſi putat omnia illa eſſe falſa, quæ à principiis juris Romani deflectunt, vereor ne tota noſtra praxis, & elegans noſtri

noſtri cenſoris cenſura forenſis, falſa ſit. Verum diſtinguere non potuit noſter Juriſconſultus, inter receptas, & multis à ſeculis probatas doctorum opiniones, ſive ſententias, & eas, quæ ſemper dubiæ manſere; cum tamen maximas inter eas eſſe differentias, nemini non notum ſit; quamvis & illæ contraria conſuetudine, ut quælibet alia civilia jura, tolli poſſint. Et hoc magnus Juriſconſultus noſter, nunc de me primum diſcit.

Quippe quod re ipſa conſtet, communem opinionem progreſſu temporis mutari, ut quæ opinio ante aliquot annos communis fuit, hodie deſinat eſſe communis, & contraria fiat communior, & omnium, ea quæ particularis fuerat ante. Oratio κακοσύνθετος, & vellem hic noſter cenſor meminiſſet ejus, qui dixiſſe fertur. *Qui generi humano*

utilia literis prodere vult, ei, non ut à lectore linguæ gnaro intelligi poſſit; ſed ne omnino poſſit non intelligi, curandum eſt. Ut taceam ſummam hominis negligentiam, quod mentem Juſtiniani, male exſcribendo locum ex *l. 1. de vet. jur. enucl.* everterit.

Sed & nobis objiciet aliquis, crebra doctorum allegatio: quas non eo à nobis adductas ſciat, ut eorum auctoritati quicquam deferamus, ſed tanquam remiſſiones eorum, qui idem mecum ſentientes, eadem latius tractarunt, quarum opiniones ut veras & probatas ſimul defendere ſuſcipimus.] Immanes ſolœciſmi vel puero erubeſcendi; & certe tam flagitioſæ ignorantiæ ſpecimen nequaquam impune dediſſem, alter ab undecimo cum me jam ceperat annus, ſed neceſſe habuiſſem periculo clunium, jactura natis excipere culpam. Et primum oratio eſt

eſt ἀνακόλουθος membris ejus minime aptis aut cohærentibus, quod vicium evitaſſet, ſi *quod crebra allegatio doctorum in hoc opere fiat*, dixiſſet. Deinde peſſimè dixit, *quas adductas*, pro *quos adductos*; neque quis dicat ad tuendum noſtrum doctorem, hæc verba referenda eſſe ad vocem proxime præcedentem *allegatio*. Etenim aliam mentem fuiſſe auctoris ex his ſequentibus apparet, *ut eorum auctoritati*, *&c.* Præterquam quod alias etiam debuiſſet dicere *quam adductam*. Ad hæc ineptiſſime ſcripſit *quarum opiniones ut veras*, pro *quorum*, quoniam ubique loquitur de doctoribus. Et cum hi ſint turpiſſimi errores, quomodo noſter cenſor natale ſupplicium, uberemque virgidemiam, tam fœda inſcitia commeritam, evadere potis erit, ipſe viderit. Ut taceam ſummam hujus juvenis impuden-

tiam, qui tyrocinium artis noſtræ necdum egreſſus, tanquam triarius, ſe nullius auctoritati quicquam deferre, tradere non erubeſcit; cum tamen illum legum theſaurum, & promptuarium, & aſylum illud juriſprudentiæ Papinianum, cui tantum honoris fuit tributum, ut ſingulos Juriſconſultos vinceret, & nunquam niſi duobus cederet *l. unic. de reſp. prud. in Cod. Theodoſ.* non puduerit fateri, ſe à Sabino tractum fuiſſe in ſententiam, contrariam ei, quam antea ſemper defenderat, *l. ſi venditor, 6. §. 1. ff. de ſerv. export.* Sed aliter longe catuli olent, aliter ſues.

Tum, ut ne quid ex aliquo eorum obſervaverim, quod non ei ſimul deferatur.] Oratio ἀσύνϑετος, & omnino expungenda eſt particula *ut*. Sed paſſim noſtro cenſori ejuſmodi loquendi genera, & caprimul-

mulgis quam viris doctis digniora, arrident, nec magis ab iſtis, quam *porcus Umber* à luti volutabro abſterreri poteſt. Quòd & ex hiſce ſequentibus manifeſtum fiet.

Ne, ceu humano capiti cervicem equinam jungens, abſurda quadam furtivaque novitate variis avem conveſtiens plumis, hujus monſtri inſimuler (& omiſſis verſibus Horatii) *quo ut* (& iterum omiſſo carmine) *aut hoc Bilbilenſis aculei ſcommate excipiar.*] Quæ verba minime inter ſe cohærent, & dicere debuit. *Ne & abſurda quadam*, & pro *quo ut*, *quo etiam pertinet.* Sed voluit hic Latine dicere, quæ in præfat. ad *Paratitula* Belgice dixit.

Quod multa ex Matth. de Afflict. commentariis fuerit expilatus.] Pudendus ſolœciſmus, pro *expilaverit.* Et quis verbo *expilatus*,

ſic unquam uſus inveniatur, non facile mihi hic cenſor dixerit. Magiſtro ergo minerval paret, licebit, ſi velit à me diſcere; præterea auctor ipſi eſſem, ut Grammaticæ in diſciplinam ſe dedat: aliter violatæ Latinitatis dicam vitare non poterit.

Quo pertinet arg. ex l. 68. §. ult. ad l. Falcid. quæ probat occultatorem alienæ laudis furi ſimilem.] Certe hic noſter cenſor, pluſquam Lynceus eſt, dum illud in ea lege videre poteſt.

Nihil enim intereſt, utrum ſubtraxerit, an occultando quis alterius eſſe negaverit.] Inſigne ſpecimen judicii noſtri cenſoris. Hic nempe erit, qui collapſam juriſprudentiam, & methodo Profeſſorum, eamque docentium corruptam, reſtituet; hic eſt, qui *aliquid ſupra, & præterquam alii fecerunt, præclare cogitavit*; hic qui

jus

jus noſtrum penitius, quam aliquis doctorum hactenus inſpexit, & interim non animadvertit in lege, quam allegat, plane aliud, imo contrarium decidi. Quippe cum certum ſit ita Falcidiæ legis habendam rationem, ac ſi res, quæ ab herede ſubtractæ ſunt, in hereditate relictæ non fuiſſent, *l. Falcidiæ, 24. in pr. ff. ad l. Falcid.* adeo ut, ſi quis quadringenta habens, univerſa quadringenta legavit, & heres centum ſubtraxit, trecentorum quartam, ſeptuaginta quinque ſcilicet, ſibi ſervaturus ſit, & ducenta viginti quinque daturus legatariis; ex centum quæ ſubripuit, legatariis quidem daturus ſeptuaginta quinque; reliqua, id eſt, viginti quinque, ad fiſcum perventura ſint. *l. reſcriptum 6. ff. de his quæ ut indign.* quærit Macer in *d. l.* 68. §. 1. ſi quis ex heredibus rem heredi-

tariam quidem non ſubtrahat, ſed ſuam rem propriam, & non hereditariam eſſe, contendat, deinde hereditariam eſſe, convincatur, an idem hic dicendum ſit reſpectu retentionis Falcidiæ, quod in rebus per heredem ſubreptis; & reſpondet quoſdam putaſſe ejus quoque Falcidiam non poſſe retineri; quia nihil interſit ſubtraxerit, an hereditariam eſſe negaverit; ſed addit hanc ſententiam recte ab Ulpiano improbatam eſſe. Verum hæc ultima legis verba noſter cenſor non legit, ignoravitque ineptum eſſe de aliqua lege judicare, ea tota non inſpecta, *l. 24. ff. de legib.*

Quam turpiter alias veræ Juriſprudentiæ, & Juris noſtri arti, ſcientiæque impoſuerit inveterata illa Doctorum communis, per aliquot ſecula, opinio.] Ut ineptas haſce tautologias prætercam, vellem à noſtro

doctore

doctore diſcere, quænam ſit illa communis, & per tot ſecula recepta opinio, quæ noſtri Juris arti tam diu impoſuit. Sed, quod etiam antea monui, noſter cenſor non intellexit differentiam, quæ eſt inter receptas, & communiter per ſecula probatas opiniones, & dubias quaſdam doctorum concluſiones. An autem Faber primus, & unicus praxeos cultor ſit dicendus, & an tantundem præſtiterit in ſuis de erroribus pragmaticorum libris, alii judicent. Certe D. Bachovius, nec fama, nec meritis D. Fabro minor, in *ſuis exercitationibus* oſtendit D. Fabrum in poſteriori parte ſuæ Chiliados, millies plus minus erraſſe.

Verum & jam creſcente magis magiſque Pragmaticorum quorundam noſtrorum imperitia, ſimul ac impudentia, non per cuniculos ut ante; ſed

 aper-

aperta fere vi irrumpit quotidie.] Hæc quoque ſcripſit ex dicta Fabri epiſtola, ſed utinam fideliter exſcripſiſſet. Verum de ſuo aliquid addere volens,meretur illud,quod paulo ante voluit evitare,

Quem recitas meus eſt, ô Fidentine, libellus:
Sed male cum recitas, incipit eſſe tuus.

Ego quidem decimo ætatis anno, non minimo natium periculo dixiſſem: *Creſcente magis magiſque Pragmaticorum imperitia aperta vi irrumpit;* creviſſentque naticidia donec magna voce, *creſcens imperitia aperta vi irrumpit*, ſubſtituiſſem.

Qua Conſultationes ſuas nullius legis aut rationis legitimæ argumento ſuffultas, ex ſola ſcribentis autoritate, quod ipſis ita juſtum videtur, (ſi ita Diis placet) confirmantes, indies magis magiſque tribunalium ſubſelliis ob-

obtrudunt.] Scopæ diſſolutæ. Et ut verba ſenſum habeant, poſt verbum *videtur* ponendum eſt comma, & expungenda ſunt hæc, *ſi ita Diis placet*, quæ non niſi inepte ibi poni potuerunt, addendumque poſt verbum *confirmantes*, pronomen *eas*.

Quo quid ineptius, aut ipſi veritati, eique quod juſtum eſt, magis adverſum excogitari poteſt.] Cum ipſo cenſore ineptus ſim, ſi quid ineptius hiſce excogitari poteſt. Fateor periculoſum eſſe conſiliis advocatorum aliquem ſtare, ſi ea neque legibus, neque rationibus ſunt firmata: aſt iſtud adverſari vel veritati, vel juſtitiæ, mihi non probabitur. Aut an credit noſter cenſor nihil aut veritati aut juſtitiæ conſentaneum dici poſſe, niſi ſimul legibus, aut ratione probetur, totieſque erraſſe veteres Juriſconſultos, quoties pro-

pro auctoritate ſua reſponderunt? Et ut in terminis agam, ſcribit cenſor *lib.* 2. *cap.* 14 *num.* 36. & prolixius repetit *lib.* 5. *cap.* 31. *num.* 10. moribus & certa conſuetudine introductum eſſe, ut, quotieſcunque aurigæ ſibi invicem obvii fiunt, potior ſit conditio ejus, illique de jure cedatur, qui in anguſtiorem viam prior fuerit ingreſſus, & allegat Pontan. & Nicol. vander Hoogh. Ego autem, nulla auctoritate prolata, dico hoc falſum eſſe, ſemperque parci ei, qui majorem deſtinati itineris partem emenſus eſt, licet noviſſimus anguſtum illum locum fuerit ingreſſus; & omnes qui praxin norunt, hæc veriſſima eſſe ſciunt. Fateor inhumanum eſſe aurigam, qui cum anguſtum, & uni tantum currui pervium locum, ab alio occupatum videt, in eum deflectit, hocque modo primo,

primo, ulterius progrediendi, atque etiam cedendi facultatem adimit; ſi tamen caſu, vel inhumanitate id factum fuerit, ſtandum erit conſuetudini, parcendumque ei, cui minima pars itineris abſolvenda reſtat. Non ob ineptiſſimam rationem, quam cenſor tradit, quia id quod publico uſui deſtinatum eſt, occupanti conceditur, (tunc enim ille qui carruca majorem partem itineris ſuperaſſet, currui cedere non teneretur, quod falſum eſt) ſed quia parcendum eſt equis plus defatigatis. Deinde, ſine allegatione auctoritatis, dico falſum eſſe, bigas quadrigis cedere, & tamen veriſſimum dico. Noviſſime falſum eſt, ei ex conſuetudine parcendum, qui maxime oneratus eſt. Neque cedimus curribus frugibus, vel fœno oneratis, propter onus illis impoſitum, ſed propter pericu-

lum

lum caſus, quod illis immineret, ſi ab inſtituta jam ſemita deflectere cogerentur. Quod ſi hiſce lectis, cenſor non intelligat, aliquem vera poſſe dicere, etiamſi nullas adducat auctoritates, civeſque Leidenſes ejuſmodi practico fidant, exclamabo. O aurita Arcadiæ pecora, qui Lugduni in Batavis, hujus cuculi vocem, veluti luſciniæ melos in aures admittere ſuſtinetis!

Qui tum etiam, ſolenni clauſula, quam apponere ſolent (ſalva ſaniore ſententia, judicio aut conſilio) honeſtius ſeſe excuſant.] Et certe melius illi, quam tu, ut te appellem, impudentiſſime, qui ſumma audacia & ſtultitia in conſiliis, ſi quando homines tui ſimiles te adeunt, eam clauſulam omittis, & magiſtraliter & reſolutive hac formula, ita ego Simon van Leeuwen, conſulere, & hominibus impone-

re,

re, non erubeſcis. Aut an putas tuam eruditionem eo evaſiſſe, & ita vulgarem exceſſiſſe modum, ut tuum nullius judicio ſubjectum velis? Quo ruis homo?

Nec enim diffitendum, ea quæ ſcimus, magnam eſſe partem eorum quæ neſcimus.] Imo non dubito ea quæ noſter cenſor ſcit, minimam eſſe partem eorum quæ neſcit.

Laudaturque ob id ſententia Juliani.] Vellem ſcire ubi Julianus hæc dixerit. Allegata enim *l.* 20. *ff. de fid. lib.* non eſt Juliani, ſed Pomponii; credo noſtrum cenſorem primis verbis *d. l.* deceptum, eumque non animadvertiſſe Pomponium primam partem legis uſque ad verſum, *an hæc vera putes?* ex Juliano retuliſſe. Et tamen hic eſt, qui leges penitius, quam ullus unquam, inſpexit.

Quam præſtitiſſet non addidiſſe, & conſulto reſpondiſſe.] Acumen hoc

non

non capio, neque intelligo, quare illi ſolum dicantur conſulto reſpondere, qui legibus vel rationibus ſua reſponſa confirmant. Aut (ut mox ſcripta repetam) an dicendum erit, nunquam Juriſconſultos veteres reſpondiſſe conſulto, quoties rationes non addidere. Quanta ingenia in occulto latent.

Quæ, nobis ſi naturam intueamur humanam, qua ratione præditi ſumus, non ſcripta ſed nata lex eſſe videtur.] Hic docet noſter cenſor, de omnibus in principio dubitare, eſſe non ſcriptam ſed natam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: & paulo poſt fatetur hanc philoſophandi methodum inventam eſſe à D. Carteſio, an non belle hæc conveniunt? docuit nimirum nos Carteſius legem

gem naturæ, ante ſua tempora incognitam, & ipſe tantum laboris impendit, & tot experientiis (de quibus vide ipſum *medit.* I.) coactus fuit ad legem naturæ inveniendam. O lepidum caput!

Quid enim eſt, quod nos à brutis animantibus diſcernat, quam quod ratione utamur.] Ut hæc cum præcedentibus hæreant, neceſſario dicendum eſt, eos demum ratione uti, qui de omnibus dubitant. Ergo ante Carteſium vix quiſquam ratione fuit uſus, nec ipſe Carteſius, poſtquam certam concluſionem formavit.

Et ubi ratio non eſt, ibi nec jus eſſe poſſit.] Periculoſum eſt hoc ita ſimpliciter affirmare, & poteſtatem legem jubentis vel evertit, vel labefactat, occaſionemque præbet ſubjectis de hac, vel illa lege diſputandi, quod irrationabilis.

bilis eſſe videatur. Ac proinde bene notandum eſt, gradus quaſi eſſe, ut ita loquar, rationabilitatis & irrationabilitatis; neque ſtatim irrationabile, vel contra rationem eſt, quicquid jus civile offendit, imo audacius loquar, ne quidem illud, quod à jure gentium vel naturæ deflectit. E. G. contra jus naturæ prima fronte introductum videtur, alio jure in ſucceſſione parentum cenſeri filias, alio filios. Illud tamen jus non tantum per ſecula apud Romanos in uſu fuit, ſed etiamnum apud moratiores gentes obſervatur, nec irrationabile videri debet, cum pertineat ad conſervationem familiarum, quarum fœmina & caput, & finis eſt. *l.* 195. §. *ult. de V. S.* Illud ergo axioma, *ubi non eſt ratio, ibi non eſt jus*, verum eſſe fateor, ſi perſonam Principis legem jubentis intueamur; ipſe, enim

enim nihil ſtatuere debet, niſi quod ſit rationabile, vel ex ſe, vel opinione, & ſecundum ſtatum ſui regni, verum ſubjectos, an lex ratione nitatur, an ei repugnet, inquirere non permittam; cum illis rationabile eſſe, quicquid Principi placet, & obſequii gloriam ſibi relictam, ſufficere, debeat. Et hinc ſæpius videmus unius populi propinquiſſimas civitates diverſiſſimis legibus & moribus regi, & ſingulis ſua jura, tanquam juſtiſſima, placere; hinc comperimus tot in unaquaque civitate legum mutationes, & abrogationes, & ſingula jura ſuis temporibus optima videri; quod fieri non poſſet, ſi æquitas, & id quod juſtum eſt, ſemper ex ſe, & non pro varietate ingeniorum, & circumſtantiarum æſtimari deberent. Nam tum una & immutabilis ſemper eſſet æquitas & ju-

ſtitia.

ſtitia. Principis itaque eſt omnia recte & penſiculate conſiderare, ubi jus aliquod condere vult, ſubjectorum parere, etiamſi lex dura videatur, *l. proſpexit.* 12. §. 1. *ff. qui & à quib. man.* unde & Valentinianus à militibus Imperator creatus, cum ab ipſo quid peterent, quod concedere nolebat, ſic apud Sozomenum *in hiſt. Eccleſ.* eos increpat. *Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi quæ facienda ſunt cogitare.* Cui ſimile eſt illud Ambroſii, *Epiſt.* 32. *Quis eſt, qui poteſt, vel unus vel inter paucos dicere Imperatori, Lex tua mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere ſacerdotibus, permittetur laicis?* Et applicari poteſt illud Cæſaris de *bello Gallico, lib.* 1. *Eos facere arroganter, qui aut de officio Imperatoris diſputare, aut ei præſcribere auderent.* Quin ipſe Julianus fatetur, non omnium, quæ à ma-

à majoribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe, *l. 20. ff. de legibus*, & Cajus in *l. 9. ff. de rel. & ſumpt. fun.* actionem illam, de qua ibi agit, neque heredi, neque in heredem fuiſſe datam, miratur.

Inter cætera quoque erroris redargui eos, qui brutis animantibus præter cæcos naturæ inſtinctus, aliquod jus attribuunt, cum hominibus quaſi commune.] Mirifice hic locutus eſt noſter cenſor, & facilius quis Sibyllæ folium intelliget, quam ſenſum in his verbis deprehendet. *Et hinc quum jus ſemper æſtimandum ſit ex ratione, & ubi ratio non eſt, ibi nec jus eſſe poſſit: quum Juſtitia ſit animi noſtri voluntas, quæ cum ratione ſit, & ſine ea eſſe non poſſit, nec in bruta jus cadere neceſſe eſt: Inter cætera quoque (ut & primam ejus ex noſtris ſpeciem proferamus) erroris redargui eos, qui*

brutis

brutis animantibus præter cæcos naturæ inſtinctus, aliquod jus attribuunt cum hominibus quaſi commune. Deinde ego non poſſum probare noſtrum cenſorem ſecutum communem opinionem, in beſtiis nihil præter cæcos naturæ inſtinctus agnoſcere, nec facile patiar mihi perſuaderi, non plus juris ineſſe actibus defenſionis ſui, ſuboliſque, etiam cum propriæ vitæ periculo, quam actibus edendi, bibendi, dormiendi. Secundum cæcum naturæ impetum, bruta periculum fugiunt, hominibuſque, ceu dominis cedunt; quando ergo in apertiſſima pericula, moritura ruunt, majoraque viribus audent, ut ſubolem ſuam tueantur, illud ex aliquo eminentiori, & ipſi appetitui dominante principio, oriri neceſſe eſt. Illud autem nihil aliud eſſe poteſt, quam ratio, aut duntaxat tale quid, quod ſufficit ad

agno-

agnoſcendum jus aliquod naturæ in beſtiis. Quin in ipſo conjunctionis appetitu manifeſte duo principia videmus; unum ex cæco impetu, alterum ex eminentiori aliquo fonte deſcendens. Ex cæco inſtinctu naturæ beſtia conjunctionem appetit ſine diſcrimine ſexus, ſecundumque eum appetitum mas in marem fertur, cui certe impetui deſiderium conjunctionis, quo mas fœminam expetit, fœmina mari jungitur, adſcribi non poteſt. Ut taceam infinita exempla in hiſtoriis occurrentia, quibus talia à brutis facta docemur, quæ vix ſine ratiocinatione, nedum ratione fieri potuerunt. Et hiſce moveor, ut mallem rationem aliquam concedere beſtiis, quam illis denegare jus aliquod nobis illiſcum commune. Certe cum ipſe noſter cenſor tradat *dubitare* primam legem eſſe

 ra-

rationis nobis innatæ, quis negare poterit iſtam legem in beſtiis reperiri, cum certiſſimum ſit, eas aliquando dubitare?

Et ut ne quid de cæteris dicam.] Ego quidem ſi ætatis duodecimo anno ſic ſcripſiſſem, non defunctoriè vapulaſſem. Et quid ſibi vult *& ut ne* &c?

In ea inventionis arte & methodo, veram cujuſque rei etiam Juris ſcientiam conſiſtere, pro certo affirmandum eſſe, mihi fuerit exploratum.] Imo ego non dubito, quin illi, qui in diſciplina juris à dubitatione incipiendum putant, inepti & fatui ſint. Quippe cum totum jus pendeat à voluntate jubentis, de ea in caſu dubio aliquando vel inviti dubitamus, ſed ubi principis voluntas certa eſt, quis locus dubitationi relinquetur?

Neque movet me Theologorum quo-

quorundam prædicantium illata injuria &c.] Non ignoro Gellium *lib.* 9. *cap.* 12. ſcripſiſſe injurias dici tam illorum qui faciunt, quam qui patiuntur, & nullus dubito, quin nihilominus barbariſmus ſit, *illatam injuriam* active dicere. Deinde oratio eſt κακοσύνθετος nec ſatis inter ſe apta ejus membra, quod vicium aliquo modo evitaſſet, ſi *ſed & illis contrariam clamant; & eidem vel modice addictos non tantum heterodoxiæ inſimulant, verum etiam ex aliis liberalium artium diſciplinis, ſi modo Deo ita viſum fuiſſet, maximo juventutis malo, extirpaſſent*, ſcripſiſſet. Etenim cum iſti Theologi, quos accuſat, revera conati ſunt exſtirpare Carteſii Philoſophiam, illos hoc, ſi modo Deo ita viſum fuiſſet, voluiſſe facere, non niſi inepte dici poteſt. Sed delicias in hac phraſi noſter

rationis nobis innatæ, quis negare poterit iſtam legem in beſtiis reperiri, cum certiſſimum ſit, eas aliquando dubitare?

Et ut ne quid de cæteris dicam.] Ego quidem ſi ætatis duodecimo anno ſic ſcripſiſſem, non defunctoriè vapulaſſem. Et quid ſibi vult *& ut ne* &c?

In ea inventionis arte & methodo, veram cujuſque rei etiam Juris ſcientiam conſiſtere, pro certo affirmandum eſſe, mihi fuerit exploratum.] Imo ego non dubito, quin illi, qui in diſciplina juris à dubitatione incipiendum putant, inepti & fatui ſint. Quippe cum totum jus pendeat à voluntate jubentis, de ea in caſu dubio aliquando vel inviti dubitamus, ſed ubi principis voluntas certa eſt, quis locus dubitationi relinquetur?

Neque movet me Theologorum quo-

quorundam prædicantium illata injuria &c.]Non ignoroGellium *lib.9. cap.* 12. ſcripſiſſe injurias dici tam illorum qui faciunt, quam qui patiuntur, & nullus dubito, quin nihilominus barbariſmus ſit, *illatam injuriam* active dicere. Deinde oratio eſt κακοσύνθετος nec ſatis inter ſe apta ejus membra, quod vicium aliquo modo evitaſſet, ſi *ſed & illis contrariam clamant; & eidem vel modice addictos non tantum heterodoxiæ inſimulant, verum etiam ex aliis liberalium artium diſciplinis, ſi modo Deo ita viſum fuiſſet, maximo juventutis malo, exſtirpaſſent*, ſcripſiſſet. Etenim cum iſti Theologi, quos accuſat, revera conati ſunt exſtirpare Carteſii Philoſophiam, illos hoc, ſi modo Deo ita viſum fuiſſet, voluiſſe facere, non niſi inepte dici poteſt. Sed delicias in hac phraſi noſter

cenſor facit, quod & ſuperius monui.

Verum hoſce ad Anticyras helleboro curandos mittamus: nos ut ad veritatis cardinem & cujuſque rei certitudinem perveniamus: dubitando eam nos poſſe nanciſci, neque alio modo, poſt longam dubitationem tandem certi, jam nunc ſine ulla dubitatione credimus.] Imo & ego ſine ulla dubitatione credo illi helleboro opus eſſe, & quidem integro jugere, qui ita ſcribit. Dubitando enim ad rei veritatem quis pervenire poteſt, ſed fieri non poteſt, ut quis ad eam perveniat hoc ipſo, quod ſe ad eam dubitando pervenire poſſe, credat.

Quomodo quæſo diſcipuli illi ſeſe ſophiſtarum technis extricabunt, in re de qua nec dubitare, nec judicare, quod idem eſt, nunquam didicerint.] Jam cauſam ſcio, unde toties erret

noſter

noſter cenſor. Nam cum ipſi judicare & dubitare idem ſit, ſæpius judicavit, cum debuiſſet dubitare: at mihi cum hæc plane ſint diverſa, ſciamque dubitationes judicium & ſententiam præcedere, eum, qui ignorat duas negationes affirmare, & *nunquam* ſcripſit pro *unquam*, ad ſcholas triviales mittendum eſſe judico, non dubito.

Poſito eo juris fundamento, cum vera, quam diximus, praxi conjuncto, uſum & quæſtiones practicas, iis ita adjunximus, ut quid eorum cum eo conveniat &c.] Optime *iis fundamento.* En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Quos antiquitatis & hiſtoriæ Romanæ amatores &c.] Si noſter cenſor hiſtoriam Romanam legiſſet, non poſuiſſet pronomen *quos* ſine verbo, à quo regeretur.

Reuſnerus Juriſconſultus Germanus emeritus.] Non intelligo quid ſit Juriſconſultus emeritus.

Ut ſi alter Diogenes prodeat, neque verum juris ſtudioſum, nedum peritum ullum inter eos inveniret.] Neceſſe tunc eſſet ut noſter Juriſconſultus ſe publico abſtineret, ne à Diogene inveniretur.

Unum habeo mihi familiarem Janum Uytenhage à Myſt.] Non potuit pejus cum hoc juvene agi, quam ſi à noſtro cenſore laudaretur. Adeo enim corruptum eſt hominis judicium, ut affirmare auſim probationem & laudationem ejus, certiſſimam eſſe amuſſim ad illud, quod laudavit, reprobandum.

Cum pudore ſæpe me traxerit in ſententiam ſuam.] Egregiam vero laudem & ſpolia ampla reportat noſter cenſor, qui cum omnes profeſſores Theoriam & modum do-

docendi, cauſarumque patronos praxin docere velit, ſæpius à juvene, qui etiamnum in privatis collegiis profeſſorum inſtitutiones deſiderat, forumque nunquam vidit, fuit edoctus.

A ſuis hinc præceptoribus & Profeſſoribus ad forum protruduntur.] Si noſtro quis occinerit,

Cur alios carpis? mutato nomine
de te
Hiſtoriam narras.

Forſitan à vero non aberraret.

Quod utinam in publici modo Juris & Politicæ gubernationis orcheſtra vere objici poſſet.] Forte voluit dicere *libere objici poſſet.* Nam aut falſa ſunt quæ cenſor ſcripſit, aut vere hoc, de quo queritur, objici poteſt.

Quibus excultæ eruditionis tantum haud requiri, quin & proprii ingenii, aut naturæ dotibus ſatis ſe ſuffultos putant.] Scilicet hic bar-

bariſmum metuit, qui contra prima fundamenta linguæ Latinæ; *quibus putant*, pro *qui putant*, ſcripſit.

Adeoque ſæpius ad laudem atque virtutem natura, quam ſine ea doctrina valeat.] Inſigne hic occurrit ſummæ ſocordiæ ſpecimen. Quippe cum verba Ciceronis oſcitanter exſcripſerit, ſententiam illius evertit, & legendum eſt, *adeoque ſæpius ad laudem atque virtutem natura ſine doctrina, quam ſine natura doctrina valeat.*

Fœda hæc contagies invaſit.] Contagium, contagio, contages Latine dicitur, barbarum vero eſt *contagies.*

Ut etiam in majoribus ubi hæc ſacra aliter non conſtant, in nullo magis deficiat, quam in eo, quo maxime opus eſt; inter eos, quos aut familiæ poteſtas, aut cæcus amicorum favor, præter doctrinæ merita eo evexit.]

Oedipo

Oedipo aliquo conjectore, qui Sphyngis interpres fuit, aut urinatore Delio opus eſt ad hæc intelligenda. Nonne ſatius eſſet mutum eſſe, quam quod nemo intelligat, dicere?

Quibuſcum certe melius ſeſe haberet, ſi nullus qui ambiret, aut ſe ipſum offerret ad munus illud admitteretur.] Miſerrimus eſſet noſter cenſor, ſi nobiliſſimi & ampliſſimi conſules Leidenſis, hanc legem ſecuti, eum repuliſſent, cum omnibus viribus expeteret, ut Soeterwoudanis à ſecretis deſignaretur. Ut omittam *quibuſcum certe melius ſeſe haberet*, barbarum eſſe. *Ille ſe bene habet, cum illo bene agitur*; Latinum eſt, non *cum illo bene ſe habet*.

Sed ex libera electione optima cujuſque merita, immediate illum occuparent locum.] Non capio quid ſignificet illud *immediatè*. Etenim

ſi credat illas demum Reſpublicas fore beatas, in quibus ſine aliqua deſignatione aut electione, illi, qui ſtudiorum vel meritorum ſuorum fiduciam habent, magiſtratum aliquem ingredi poſſunt, optimo loco Leidenſes erunt, tanto viro præſide, aut civitatis rectore. Neque enim dubito, quin ſtante ea conſuetudine noſter cenſor, admirabili ſua eruditione fretus dictaturam perpetuam, tanquam ſibi, meritiſque ſuis debitam, ſibi vindicaturus ſit.

Hos Ammianus Marcellinus rer. geſt. libr. 30 *ſub ejuſdem generis quarto ordine vocat,* &c.] Hæc tolerari poſſent, ſi à celebri Juriſconſulto, & illuſtri oratore dicta fuiſſent, ſed tyronem in jure, miſerrimumque cauſarum oratorem talia effundere, quis feret? deinde judicium ſuum egregiè prodidit noſter cenſor hæc ſcribendo,

ſub ejuſdem generis quarto ordine vocat. Nam hæc recte à Marcellino tradi potuerunt, qui de tribus aliis ordinibus antea egerat, ſed noſter cenſor, qui nullius ordinis mentionem fecit, non niſi inepte ita loqui potuit. Præterea attonitus hæſi ad hunc locum ex Marcellino, miratuſque fui me non intelligere, quæ ex eo à noſtro cenſore adducta ſunt, cum ipſum Marcellinum non ſemel legerim. Sed cum bis terve percurriſſem, nec tamen ideo magis caperem, quid ſignificarent hæc, *qui cum immature à literariis eripuerint ludis*, ipſum Marcellinum adii, ſtatimque deprehendi cenſorem ex ſumma ſocordia, & fœda Latinæ linguæ ignorantia male locum exſcripſiſſe, & Marcellinum dixiſſe, *qui cum immature à literariis eruperint ludis.* Sic etiam inepte exſcripſit *mimojambos*, pro

mimjambos, & *deterendum*, pro *deterendo*; ut omittam ineptiſſimas interpunctiones, quibus ſæpius mentem Marcellini evertit.

An ipſi potius genuinæ & inveteratæ ſtudioſorum negligentiæ, culpæ magis dandum eſſe dicemus?] Pueri in trivialibus verbum *culpæ* non addidiſſent.

Ut mille vulneribus concidat Priſcianus.] Cum in hæc inciderem non potui non in latiſſimos erumpere cachinnos. Nempe ille alios accuſabit, qui tot ac tantos, ut vidimus, in pauciſſimis paginis errores ac ſolœciſmos commiſit, ut vel pueros eorum puderet. Vellem meminiſſet, quæ in ſcholis didicit:

Quæ culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe.
Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.
Aut nummus aut amicorum favor

titu-

titulum ſubinde efflagitant.] Vellem auctoritatem ſcriptoris hoc modo locuti, neſcivitque cenſor differentiam eſſe, inter duo ſingularia, conjunctione copulativa conjuncta, ut *pater & Chremes reverſi. Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent*, & ea, quæ juncta ſunt conjunctione disjunctiva.

Alii blæſum quid tinnientes, & ſemihiulco labio &c.] Scilicet hic Priſciano & Vallæ metuit, qui non animadvertit particulam *&* ſuperfluam eſſe, aut deſiderari aliquod participium participio *tinnientes* reſpondens. Deinde impius hic eſt cenſor in Academiam patriam, ejuſque profeſſores. Et ſi diſputationes publicas tantum dicis gratia, & ſæpius cum opponentibus colludente candidato fieri putat, quare iſtas colluſiones non aliquoties detexit? Etenim nunquam Juris do-

ctori

ctori opponere volenti in Academiis locus non fuit conceſſus. Sed crede, mi Philonome, me non opinari, ſed ſcire, non audiviſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe, ut ſæpius hic cenſor ad diſputandum fuerit invitatus, ſed ſemper poſt carecta latuit. Et tamen hic mucidus homo talia evomere ſuſtinet. Sed fortaſſis de ſe ipſo hæc experto locutus eſt.

Verum Cœlum, non animos mutant.] Pueri in ſcholis dixiſſent & pro *verum*.

Quam multa enim in jure ſunt, quæ uſum non habent?] Imo aſſeverare auſim nullam eſſe legem in toto Corpore juris, quæ uſum nuſquam habeat. Et proinde cum omnium populorum cives doceamus, & nulla ſit praxis univerſalis, manifeſtum eſt, ſolum jus Romanum in Academiis explicandum eſſe.

In-

In qua potiſſima praxeos pars conſiſtit.] Optime pro *in quibus*. Per me tamen licet, ut frontem perfricet noſter cenſor, ſeque meritum neget, quem ſcholarum noſtrarum pueri ſibilo & convicio explodant.

Et hominis magna eruditione præditi, multæque experientiæ.] Cenſorem ignoraſſe, quod conjunctio ſimiles caſus in declinabilibus, ſimiles modos in verbis copulet, ſupra dixi; & tamen hic ſibi perſuadet naturalem & ingenuam eſſe ſuam orationem.

Quidquid eorum eſt, infinitæ lectionis, & laboris profitemur.] Quis mortalium ita locutus eſt? quid hæc ſignificant? Deinde an multa legerit noſter cenſor neſcio, ſed quod non multum legerit certus ſcio; vellemque cenſorem pauciora legiſſe, eaque examinaſſe.

Ne

Ne quorum ſtudia nova aliqua docendi ratione adjuvare nitamur.] O fortunatam natam te præſule Leidam : & certe Simon van Leeuwen Juriſconſulte, ut ipſe dicis, Batave, vera narras. Nam tota tua ratio docendi nova, Latinitas tua nova eſt, novam didiciſti Grammaticam, novam Syntaxin, novam Proſodiam, uno verbo, totus novus es.

Quæ hujus ſcientiæ quaſi propriæ perhibentur, ad id plurimum ornatus allaturas negem.] En exemplum Latinitatis novæ, *ad id ſcientiam* pro *ad eam ſcientiam*.

Quo in opere illud à nobis ſuſceptum profitemur, ut omnia ea quæ ex jure, & legibus, uſui Forenſi, & his viciſſim accommodare potuerim, remota difficultate & minus neceſſario verborum cultu, omnium oculis clara, & dilucida proponamus, ſervato eo ordine, quem tantæ rei magis ido-

neum.

neum magiſque accommodatum fore arbitrabar , utplurimum ipſarum Inſtitutionum methodo innixus. Totum opus quinque omnino libris , & hos ſuis capitibus diſtinximus.] Arrigite aures quotquot eſtis qui Latinitatem reſtitutam gaudetis. Veneramini hominem, qui labore & lectionibus infinitis eò pervenit , ut Latinitatem amiſſam reſtituere poſſit. Quid enim elegantius dici , quæ melius convenire poſſunt , quam iſta : *Profitemur , potuerim , proponamus , arbitrabar , innixus , diſtinximus.?* ut taceam orationem mancam eſſe , legendumque *& his viciſſim ex uſu forenſi accommodare potuerim.*

Sed quum hic in debitum voluminis ſui modum excreverit &c.] Nulla hic eſt connexio , & omnino ita ſcribendum fuit. *Sed cum hic liber in debitum voluminis modum excreverit , ut evenire ſolet , queis ur-*

ceus inſtitutus, currente rota, ſit amphora, tum materia illa à nemine eo, quo propoſui, modo ac ordine, quod ſciam tractata, & præterea ab aliis Juriſprudentiæ materiis & partibus ſatis ſeparata, ſeparatum tractatum requirat.

In ſecundum eum noſtris, operis volumen rejecimus.] Turpis & ne quidem puero ignoſcendus lapſus, & omnino ita dicere debuit, *in ſecundum eum* (ſi hanc vocem ad tractatum, & non ad materiam retulerit) *noſtri operis volumen rejecimus.* Neque excuſari poteſt noſter cenſor, quaſi hic typographi error ſit, propter comma poſitum poſt vocem, *noſtris.* Credo illum putaſſe pronomen *noſter* in genitivo facere *noſtris.*

In varias reprehenſiones.] Si noſter cenſor; qui jactat ſe hominem infinitæ lectionis, hunc verſum Propertii legiſſet,

Quam

Quam poſsit noſtros quiſquam reprehendere curſus.

vel Horatii,

Vir bonus & prudens verſus reprehendit ineptos.

vel Ovidii,

Non ſum qui ſoleam Paridis reprehendere factum.

ſciviſſet verbum *reprehendo* ſine diphthongo fuiſſe ſcribendum.

Eorum, præcipue, qui quanquam, alia quædam mea, de quibus ne judicare quidem valeant, nec coram quidem audeant miſelli, contemnere tamen, & nulla reddita ratione ſupra modum imprudenter & impudenter condemnaverunt & condemnanda aliis perſuaſerunt.] Certe ipſe Cicero, ſi ab inferis rediret, fateretur hanc Latinitatem ſe aſſequi non poſſe. Ut igitur ſenſus ſit, & vicia in Syntaxin vitentur, delenda eſt interpunctio poſt verbum *eorum*, ut & poſt vocem

quan-

quanquam, in cujus etiam locum ſubſtituendum eſt *etiam*: deinde legendum *nec coram quidem contradicere*, & pro *contemnere, contempſere.* An hæc non pulchre procedunt? Sed cenſor cothurnatus eſt.

Hominem occupatiſſimum aliiſque diſtrictum negotiis.] Quid audio Juriſconſulte, tune es homo occupatiſſimus, tune ita diſtraheris? & quibus negotiis? certe miſeret me tui. Sed demus hoc eſſe verum, quis te ad ſcribendum impulit? quis hortatus eſt? Aut an putas Themin alio fuiſſe migraturam, niſi tu eam ſtitiſſes? Laudo hoc tuum propoſitum: ſed crede mihi

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget.

Sed Themis! Te appello, *melior vacua ſine regnet in aula.*

Ad-

Addo etiam rudem, & inſuetum eo, & omni prorſus ſcriptionis genere.] Vera hic dicit, ſed monendus noſter cenſor ne poſthac inſuetum ablativo jungat, ſed dativo, vel genitivo. Neque me fugit verbum *aſſuetus* quandoque ablativo jungi, ut *aſſuetus labore aſſiduo*, apud Cic. Sed tunc illæ res, quibus aſſueti ſumus, ſignificant vel cauſam, vel inſtrumentum, vel modum quo aſſueti ſumus; quod verbo *inſuetus* accommodari non poteſt, quia negationem vel privationem continet.

Cui cum aliis per ocium, iterum atque iterum eruminare.] Verba aliquem ſenſum habebunt, ſi poſt vocem *cui* ponatur comma, & pro *eruminare*, quod Latinum non eſt, legatur *ruminare*. Deinde conſulo cenſori, ſi ita occupatus eſt, ut ſua ſcripta ne quidem

dem relegere poſſit, ut ea in poſterum ſibi ſervet, eaſque beſtias quæ ea, quæ devoravere, non ruminant, impuras eſſe, Deoque diſplicuiſſe, in mentem revocet.

In quo propoſito facilius perſtitiſſem, niſi, quod in hanc arenam illos non deſcendiſſe, qui hoc poterant, & debebant, perſpectum habuiſſem.] Si propoſito ſuo inhæſiſſet noſter cenſor, in tot puerilibus erroribus, ineptiis, inficetiis non fuiſſet convictus, neque hic tam turpiter contra Syntaxin erraſſet, ſcribendo, *quod in hanc arenam illos non deſcendiſſe*, pro, *quod in hanc arenam illi non deſcenderint*, vel *in hanc arenam illos non deſcendiſſe*, omiſſa voce *quod*.

Et ſi non in omnibus &c.] Niſi ſcribatur *& me, ſi non in omnibus*, verba ſenſu carebunt. Sed

amat

amat cenſor more inuſitato loqui, quod etiam ex hiſce apparet.

Et ſi etiam hæc opinio me falleret, mihi viam ſaltem aliis ad majora, & meliora ſcribenda monſtraſſe, ut nullam nominis gloriam, aut modice & niſi me dignam affectanti, facile ſufficiebat.] Mirabilis conſtructio, & quæ ſic emendanda eſt; *mihi, ut nullam nominis gloriam, aut modicam tantum, & non niſi me dignam affectanti, viam ſaltem aliis monſtraſſe ſufficiebat.* Interim facillime noſtro cenſori concedi poterit gloria ipſo digna. Sed qua gloria ipſe dignus ſit, non facile quis dixerit.

Pluresque monitores me habiturum.] Turpiſſimus error adverſus Syntaxin, pro, *pluresque monitores ſim habiturus.*

Quæque minus, quam res ipſa, cogitanti exciderint emendare poſſim.]

Sen-

Senſus deerit, ſi hoc modo non ſcribatur, *quæque minus accurate, quam res ipſa permittebat, cogitanti exciderint, emendare poſſim.*

Cujus ratione lectores benevolos obteſtor, ut qui.] Fœdus error, qui vitabitur inductâ particulâ *qui.*

Id aut boni conſulat, aut humaniter monere dignetur eum, qui juſtæ defenſioni ejus nunquam deero, uſque dum ab alio rectius fuero edoctus.] Optima oratio, & tali Latino, & oratore digna. *Obteſtor benevolos lectores, ut boni conſulat, aut humaniter monere dignetur.* pro *conſulant* & *dignentur.* Sed ſequuntur elegantiora.

Humaniter monere dignetur eum, qui juſtæ defenſioni ejus nunquam deero, uſque dum ab alio rectius fuero edoctus, quo interim ex aliorum de meo judicio edocear, quid aut perperam à me fuerit poſitum.] Non unus hic occurrit ſolœciſ-

mus.

ſmus. Nam primum, cum pronomen *eum*, ſit tertiæ perſonæ, ut docent Grammatici, omnia illa quæ ſequuntur, & huic pronomini reſpondent, in eadem perſona exprimi debuerunt, & proinde pro *deero* ſcribendum fuit *deerit*, pro *fuero*, *fuerit*, pro *meo judicio edocear*, *de ſuo judicio edoctus fuerit*, pro *à me*, *à ſe*: deinde pro *juſtæ defenſioni ejus* legendum erit *juſtæ defenſioni eorum*, ne in Syntaxin peccetur, quoniam illa particula reſpondet præcedentibus, *ut ſi in hiſce*, *aut aliis quibuſdam meis*, *quæ cujuſque examini lubens ſubjicio*: ſimiliter verbis *ex aliorum*, addendum eſt *judicio*, vel pro *ex aliorum*, faciendum eſt, *ab aliis*.

Valete, *faveteque.*] Clamet hic noſter cenſor libere, evax! finis coronat opus; verum caveat ſibi ne à pueris in ergaſtulis ſcholaſticis tamdiu virgis excipiatur,

 donec

donec pro *favetoque*, magna voce exclamaverit *favete*, & abſtinete.

Hæc ſunt, amiciſſime Philonome, quæ occaſione harum feriarum, ſpatio aliquot dierum, notare mihi licuit, non tam ut otii mei, cujus ille reddendam eſſe rationem putat, apud te ratio conſtaret, quam ut petitioni tuæ, ex conjunctione noſtra, qua nihil mihi in vita prius eſt, profectæ, ſatisfacerem. Ex quibus ſatis ſuperque judicari poterit de tota hac Cenſura forenſi, auctoriſque doctrina & judicio. Quanto quæſo melius illi, qui ſua premunt, & ſibi ipſi Ariſtarchi eſſe malunt, nec cæco fœtus ſui amore ſcripta ſua immatura extra muſeum cognoſci patiuntur. Mihi ab ineunte ætate illud ſemper arriſit,

Sæpe

Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus.

Delendum enim, inducendum tam diu, donec judicium conſummatius antevortere poteſt illa, quæ alii in nos parare poſſent. Atque utinam omnibus mortalibus abſtinentia talis foret, profecto non tot librorum voluminibus multi bibliothecas, in ſpeciem juſtæ doctrinæ confertiſſimas, oneratas haberent. Neque eo morbo tantum laborat cenſor, ſed, quod eſt puerilius, ne quidem ullam partem Grammaticæ nominare poteſt, in quam non ſæpius turpiter peccavit. Tacebo hiſtoriam (dummodo hoc unum addiderim, cujus ſupra non memini, Julianum Javoleno cenſorem noſtrum præpoſuiſſe, cum tamen *l.* 5. *ff. de man. vind.* ipſe Julianus Javolenum ſuum præceptorem vocet.)

& infinitos alios errores; quibus hic liber turget. Et tamen inveniuntur, qui huic homini curam editionis Corporis Juris civilis, quod ſub prælo ſudare dicitur, non tantum commiſerunt, ſed inſuper etiam, ut notas Gothofredi, viri eleganter ſane docti, augeret, deque ſuo, ut dicimus, aliquid adderet, permiſerunt. Quæ ſi vera ſunt, auguror peſſimum futurum fatum iſtius libri, ipſumque plures nates, quam nares viſurum. Cum tamen nihil utilius & Reipublicæ & arti noſtræ eſſe poſſit, quam ut ille liber accurate deſcribatur, tanto magis neceſſarium, quo rarior invenitur. Contra nihil periculoſius tyronibus, & ad Juriſprudentiam ituris, quam codice tot viciis, quæ videre nondum poſſunt, referto uti. Miſerandum plane hominem qui ſibi ipſi ſemitam non ſapit,

ſapit, aliis monſtrare velle viam. Sane accingantur illi operi, qui fiduciam afferunt ſui, non quos inſanabile illud cacoëthes ſcribendi tenet. Sed videamus augurii exitum, quem dies admaturabit. Si tam cito diſcere poteſt, attendat adhuc, & tentet avertere omen. Quod ipſi ex animo precor. Neque enim ullam aliam ob cauſam hæc à me ſcripta ſunt, quam ut & tibi nihil negarem, & à manifeſtis calumniis Academiam hanc, ejuſque profeſſores defenderem. Simul etiam ut ſtudioſi juvenes ſibi caverent à lectione ineptæ illius cenſuræ, ex qua nihil conſequi poſſunt, quam ut in jure & praxi miſere ſeducantur, & decipiantur, & barbare loqui diſcant. Maxime ut ipſe cenſor in hiſce, quaſi in ſpeculo videre poſſet, qualis ſit & quantulus, & tandem agno-

ſcere, quantum uſque adhuc, & in hac qua eſt ætate deceptus fuerit, dum ſe pro docto hactenus indoctis & imprudentioribus approbare geſtiit. Vale, mi Philonome, favetoque. Ex muſeo noſtro, Lugd. Bat. Quinto Idus Auguſti cIↄ Iↄc LXII.

FINIS.

AD

A D

Lectorem Benevolum.

QUod in juſto opere evitari non poteſt, illud in tumultuario hoc opuſculo evitare ne quidem ſollicitus fui. Quæ igitur aliquam injicere remoram tibi poſſent, hæc ferme ſunt. pag. 5. lin. 1. pro *examiverim* lege *examinaverim*. p. 7. l. 3. poſt *inſignemque* dele comma. p. 15. l. 11. pro *verſatur*. l. *verſetur*. p. 26. l. 3. pro *totum* l. *totam*. p. 35. l. ult. pro *inſtruendum* l. *inſtruendam*. p. 56. l. ult. pro 29. l. 27. p. 78. l. 7. pro 74. l. 64. p. 84. l. 14. pro *quærentes* l. *querentes*. p. 103. l. 2. pro *Papinianæa* l. *Papinianea*. p. 109. l. ult. poſt *propriam* dele comma. p. 110. l. 9. ſic eſt locus legendus *veluti inter fratres & ſorores*,

res, & poſtea num. 2. *Conjunctionem inter fratres & ſorores tantum jure civili inceſtuoſam eſſe* dicit. p. 111. l. 5. pro *hac* l. *hæc*. p. 114. l. 18. pro *promiſit vel promittet* l. *præſtitit vel præſtabit*. Atque hæc ſunt Benevole Lector, quæ alicujus momenti eſſe poſſent, cætera enim non videri, ſed palpari poſſe, omnes dicent.

ANT 1319412

10389